55456

MAXIMILIANI STOLL,

MEDICINÆ CLINICÆ P. P. O. IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

PRÆLECTIONES

IN

DIVERSOS MORBOS CHRONICOS.

POST EJUS OBITUM EDIDIT ET PRÆFATUS EST

JOSEPHUS EYEREL.

VOLUMEN II.

VINDOBONÆ,

TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER.

1789.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

En alterum volumen *Stollii Prælectionum in diverſos morbos chronicos!* cujus operis utilitas, ni fallor, in eo præcipue verſatur, ut juniores medici chronicos ſibi occurrentes morbos ad *febrium*

doctrinam revocare, & *diverſas*, harum ægritudinum *cauſas*, ſolertius rimari addiſcant.

Quasdam prælectiones in *eundem* morbum, at anno non *eodem* habitas, inſerere haud dubitavi, cum aliquæ res in *hac* prælectione breviter, aut omnino non tanguntur, quæ in *altera* plenius exhibebantur.

Prælectionem de *methodo conſcribendi formulas* ideo addidi, cum nuper impudentiſſimus homunculus *Diſſertationem de materia medica practica* ediderit, quam in-

inter *Stollii* manuſcripta repertam fuiſſe affirmat; cum autem tot mendis ubique ſcateat, eandem prælectionem *de methodo conſcribendi formulas* ex *Stollii* autographo deſcripſi; formulas autem conſultius omiſi, ne medicorum *formulariorum* plebs iis abutatur.

Confido itaque, & has *Stollii* noſtri prælectiones ab omnibus iis non absque magna utilitate perlegi, qui in dignoſcendis ſanandisque longis morbis operam ſuam collocant; quamvis etiam id ſciam, fore quosdam ini-

quio-

quiores, qui primas has morborum chronicorum lineas alto ſupercilio, arrogantius, quam verius, contemnunt:

Neque magis invidet mendicus mendico, quam medicus medico; eſt enim medicus, ſi quod aliud, animal invidum.

Van der Linden. *Annot. acad.*

Eyerel.

EPILEPSIA.

Epilepſia proprie ad convulſiones pertinet, & quæcunque ibi dicta, huic pariter adplicari debent. Differt tamen ab convulſione ſtricte ſic dicta ſequentibus:

1.) In convulſione aliqui tantum muſculi animales contrahuntur; in epilepſia vero plurimi, vel omnes.

2.) In epilepſia ſenſus interni externique ad tempus abolentur, paucis quibusdam caſibus exceptis.

3.) Epilepſia periodice redit, ubi e contrario convulſiones aut in mortem, aut in ſanitatem abeunt.

4.) Subitaneus prolapſus in terram, dentium ſtridor, reſpiratio ſuffocativa, ſeminis,

urinæ alvique excretio involuntaria, pollicum introtractio, & ſpuma oris.

Definitio: eſt ergo epilepſia convulſio univerſalis muſculorum voluntati ſubjectorum cum ſenſuum omnium externorum & internorum abolitione, per intervalla rediens.

Cauſſa proxima excitati paroxysmi neceſſario hærere debet in encephalo, etſi dein cauſſa encephalum ad producendum paroxysmum diſponens ibi hæreat, ſive alibi in corpore.

Hinc nata diviſio eſt in *epilepſiam idiopathicam* & *ſympathicam*, *hæreditariam*, *congenitam*, *acquiſitam*, *contagioſam*.

In curanda epilepſia omnia hic laudata ſpecifica vana ſunt, niſi omnes omnino epilepſiæ cauſſæ ab omnibus hucusque practicis adnotatæ colligantur, in certas claſſes redigantur, ac ſingulatim a medico perpendantur.

Igitur primo conſideranda venit *epilepſia hæreditaria*, ſive *connata*.

Cauſſa procul dubio latet in peculiari fabrica omnium ſolidorum, quam ars nulla mutare valet, & ſi quæ curatio poſſibilis ſit, ea ab incremento corporis, atque ipſa ætate ſperari debet, annisque pubertatis; hoſce qui prætergreſſus eſt, atque ad viriles annos acceſſit, parum ſolaminis ſperare poteſt.

Pri-

Primarium levamen unice petendum ab accurata obſervatione *juvantium & nocentium* in regimine diætetico, ab attentione ſedula ad omnia, quæ ægro accidunt, ut ſub quibus levior aut gravior, frequentior aut rarior redeat paroxysmus.

Sequitur alia claſſis epilepſiæ, cujus cauſſa ſedem ſuam ſtabilem & perpetuam habet in capite externo vel interno, quæve paroxysmum epilepticum producit, quoties cauſſa accedit quædam procatarctica, vel occaſionalis.

Huc pertinent:

1.) Læſiones capitis per vulnera & contuſiones; ſanguis extravaſatus, pus, ſanies, ichor premens & irritans.

2.) Partium oſſearum malæ conformationes & morbi, excreſcentiæ earum, intropreſſiones, fracturæ, feſtucæ, tophi, caries vel ſimplex vel venerea.

3.) Partium membranoſarum indurationes & eroſiones, quorſum ſinuum calloſitas, & eroſiones meningum, a quocunque acri inductæ.

4.) Inflammatio meningum, cerebri, ejusque ſequelæ.

5.) Repletio nimia ſinuum, vaſorumque venoſorum meningibus & cerebro propriorum, a congeſto ſanguine multo, orgaſtico, viſcido,

do, atrabilario, polypoſo, argento vivo quomodocunque huc delato, dum ſimul tonus eorum & vis motrix languet. Has cauſſas ſemper præſentes in actum deducunt quædam aliæ *occaſionales* dictæ, valida ſyſtematis nervoſi commotio per animi pathemata, iram, terrorem, metum, amorem, veneris illecebras & omnia illa, quæ ſanguinis affluxum ad caput augent, promoventque, uti ſtudia, meditationes abſtractæ, immaginatio vivida, circulatio motu corporis, vel alia ratione aucta, plethora, orgasmus, calor æſtivus, commeſſatio, ebrietas.

Alia claſſis cauſſarum epilepſiam producentium continet evacuationes conſuetas ſive ſanguineas, ſive ſeroſas interceptas, uti ſunt hæmorrhoides retentæ, menſtrua, lochia, urina retenta, perſpirabile ſanctorianum diu ſuppreſſum, retentæ ſordes in inteſtinis; excretio materiæ cujusdam acris ſuppreſſa, ſcilicet materiæ ſcabioſæ, arthriticæ, rheumaticæ, achorumque, fonticulorum, ulcerumque ſubitanea exſiccatio. Clarum eſt, evacuationem ſuppreſſam denuo revocari debere; aut aliam artificialem ſubſtitui.

Alia claſſis continet illam, quæ per violentam ſyſtematis nervoſi commotionem producitur, ſcilicet ab animi pathemate valido,

ab

ab acutiſſimis doloribus quomodocunque excitatis, ac vellicatione nervorum ab omni cauſſa tendente, irritante, rodente, quæ naſci poteſt ex cibo & potu acribus, ex medicamentis acribus & venenis; ex acri ſpecifico morboſo, uti varioloſo, morbilloſo, arthritico, ex calculis, vermibus, tandem a ſenſibilitate ſumma, qualis eſt hyſtericarum & hypochondriacorum.

In ea epilepſia, quæ ſtimulo immateriali debetur, princeps remedium eſt opium. Sic in epilepſia ab affectu animi nimio excitata, proderit præter pharmaca moralia etiam opium. In inſultibus epilepticis a vehementiſſimo dolore ortis, narcotica palliativum remedium præbent, dum interim cauſſæ doloris intentus medicus curam principalem non negligit.

Epilepſiam a fabricæ teneritudine & laxa elementorum compage oriundam cortex peruvianus ſanat, item aquæ ſpadanæ, aut aliæ marte divites.

Supereſt ultima epilepſiæ claſſis, cujus cauſſa hæret in externis corporis partibus v. g. manu, pede, quæque alicujus auræ, fumi formicationis, & puncturæ ſenſu ſeſe manifeſtare incipit, caput aſcendit, ibique ſymptomata producit epileptica. Hoc in caſu proſunt ligaturæ fortes ſupra locum illum, in quo fomes hæret, applicatæ ſubito, ut primum pa-

ro-

roxyſmus iminet; qua ratione ſublata partium inferiorum cum cerebro communicatione inſultus epilepticus præpeditur. Sæpius profuit loci illius, unde prima futuri paroxyſmi indicia ſentiuntur, artificialis exulceratio cauſticis actualibus, vel potentialibus perpetrata, eaque ſat profunda & diu ſuſtentata per digeſtivorum applicationem. Profuit quandoque profunda ibi loci ſcarificatio, quin & fonticulus in eodem vel in vicinia excitatus. Tempore ipſius paroxyſmi variis varia adhibent, plerique ſpirituoſis, volatilibus, aromaticisque epilepticos excitare conantur; verum vitanda ſunt ea omnia, quæ genus nervoſum irritatum magis adhuc commovent, & ſanguinem verſus encephalon urgendo ſenſorium commune magis obruunt. Danda opera, ut reponantur in lectum, aut corpora molliora ſubſternantur, ne jactitatione illa valida ſibi noceant. Inutilis quoque eſt conatus illorum, qui pollices introtractos extrahere ſumma vi nituntur.

MANIA.

Mania eſt delirium, ſæpe ferox, ſine febre, notabili ſaltem, aut ſine febre tali, quæ aut cauſſa, aut effectus delirii ſit. Amentia & fatuitas ſunt gradus maniæ.

Sym-

Symptomata varia ſunt in mania. Quibusdam adeſt furor; aliis mite delirium. Dæmoniaci, egianthropi, cynanthropi dicuntur.

Fere omnes ſunt etiam epileptici. Fere omnes habent ſuas exacerbationes, robur ſæpe inſolitum.

Cauſa proxima, ejusque modus ignoratur.

Cauſæ remotæ diverſiſſimæ ſunt, & diverſiſſima ſede. Hæreditas, temperamentum ſanguineum, bilioſum, atrabilarium, ætas virilis. Vitia capitis varia. Calvaria admodum craſſa ſæpius eſt inventa. Exoſtoſes, tophi, ſpicnla enata, fragmenta oſſea. Meninges induratæ, carneæ, cartilagineæ, oſſiculis, tuberculis obſitæ, accretæ, vaſa ſtrictiora, infarctaque habentes, aut varicoſa. Aqua intra meninges collecta, item in ventriculis. Subſtantia ipſa naturali mollior, aut vice verſa durior. Ventriculi abnormes, naturalibus ampliores, aut minus ampli; vitiati plexus choroidei; hydatitibus obſeſſi.

Ut cura inſtituatur, oportet:

1.) Cognoſcere cauſam, eique medelam adaptare.

2.) Juvantia & nocentia.

3.) Vitium corporis prædominans corrigere.

Celebratiora remedia ſunt:

Detractiones ſanguinis variæ, largæ; arteriotome. Emetica potentiora, emeto-cathartica ex tartaro emetico, vitro etiam antimonii, aut vino antimoniali, gratiola. Cathartica medicamenta, reſina jalappæ, ſcammoneo, gummi, gallæ, turbetho, balneis calidis frigidisque. Alterantia. An ſacharum ſaturni juvat? neutiquam, ipſum enim mire turbat cerebrum. An opium? rariſſime, aut nunquam. Folia belladonæ, ſtramonium, moſchus, caſtoreum, aſa, decoctum graminis cum larga quantitate cremoris tartari. Diæta ex meris fructibus horæis. *Theden* ſuis dedit copioſam frigidam bibendam, & quo plus bibant, ſalitos halices commedendos. Inunctio mercurialis. Mercurius dulcis. Aquæ ex alto cadentes. Trepanon ad eximenda fragmenta, tophos exſcindendos Terror. Novæ ideæ validiſſimæ impreſſæ, & oppoſitæ. Verbera. Muſica: fors ideam prædominantem enervans.

Mania reconvaleſcentium *Sydenhamo* notata.

Mania poſt nimias evacuationes ſanguineas, ſpermatis, ſpirituum animalium a ſtudio, vigiliis, inedia.

Diviſio: 1) in idiopathicam, & ſympathicam, 2) ſecundum mali intenſionem in fatuitatem, amentiam, furorem, 3) in lycanthropiam, 4) cynanthropiam, 5) buſanthropiam, 6) morbum Dæmoniacum, ſive cacodæmoniam, 7) in morbum lunaticum.

Ex dictis explicantur plura ſcitu non injucunda, quin & practica. 1.) Sagas, quas ad hæc usque tempora, in quibusdam Europæ plagis vivis flammis exurunt, indubitato eſſe maniacas, laborare imaginatione læſa, & potius comiſeratione dignos quam flammis eſſe. 2.) Obſeſſos eſſe aut deceptores, aut ex depravata imaginatione ægrotare, ſpeciem maniæ habere, deſipere. Certe Dæmoniaci, ſive obſeſſi, quorum mentionem ſcriptura facit, fuere meriſſimi maniaci, quorum quidam nudi in locis deſertis, in monumentis habitabant, ab hominum conſortio remoti furore maniaco laborabant. Novimus veteribus orientis populis, & maxime Iſraelitis id moris fuiſſe, ut phœnomena inſueta, morbos graves naturæ modum excedere viſos, a dæmonibus concitatos crediderint. Maniam ortam poſt grave facinus admiſſum græci a furiis hominem exagitantibus fieri exiſtimabant. Igitur, qui dæmonia expuliſſe dicebatur, potenti ſuo verbo miſeris ſuam mentem reſti-

tuit.

tuit, æquali certe beneficio, & non minori prodigio. Hinc eo tempore, & eos inter populos *dæmonia ejicere* idem ſonabat, ac nobis *maniacos curare.*

3.) Ex dictis explicatur hiſtoria regis *Nabucodonoſoris*, qui a malis ſcripturæ ſacræ interpretibus in bovem fuiſſe commutatum putabatur. At vero ſuperbiſſimus rex mania corripiebatur, ut more bovis herbis veſceretur, nudus, ſquallidusque deſerta oberraret, donec elapſo ſeptennio mens redierit. At phraſes orientales, modosque loquendi novimus.

4.) *Sauli* regis amentiam poſt amiſſum regnum per intervalla accedentem, & muſica *Davidis*, quoties paroxysmus maniacus redierat, compreſſam denuo, per hucusque dicta facile explicamus.

5.) Quosdam depravatæ imaginationis morbos curari poſſe ceremoniis, magno apparatu, &c. facile capitur.

CATALEPSIS SEU CATECHUS.

Catalepſis adeſt, quando æger fixus manet in eodem ſtatu, quo morbus ipſum occupavit, ſenſibus externis internisque abolitis. Artus ſæpe manent flexiles, quemcunque in ſitum reponantur; aliqui loquuntur varia, etiam

etiam ingenioſa, aliqui leviter convelluntur; reſpiratio profunda. Plerique negotium illud vel verbum illud, quod inchoaverant adveniente paroxysmo, eodem finito perficiunt.

Cauſſa remota varia eſt; ſpiſſitudo calida vel frigida, animi pathemata, meditatio profunda, vermes in pueris, imo etiam notante *van Swieten* etiam in adultis, omniaque illa, quæ morbos cerebri ſpaſticos, convulſoriosque producere apta ſunt.

Prognoſis periculoſa eſt; abire autem ſolet in alios graviores morbos cerebri & nervorum.

Cura in paroxysmo excitantibus ſtimulantibusque ſolet inſtitui, ſed hæc medicamenta tam in hoc morbo quam aliis ſoporoſis affectibus, uti e. g. ſunt diuturni illi ſomni, de quibus hiſtoria medica fida exempla refert, nocent utplurimum; cum majorem humorum motum verſus encephalon faciunt, quod alioquin ſuppreſſum officio hic fungi non valet. Proſunt potius ea, quæ cerebrum, a compreſſione liberant, venæ ſectio in pede, ligaturæ artuum, præcipue femorum, lenes frictiones artuum inferiorum poſt balneum crurum tepidum. Extra paroxysmum inquiri in cauſſam occaſionalem & prædiſponentem oportet, eamque ſuis remediis oppugnare.

Huc

Huc pertinet aliquo modo *Somnambulorum* affectio, in qua commercium animæ cum corpore aliquo tempore ſuſpenditur, ſi muſculos excipias, qui grediendo inſerviunt, quosque anima adhuc regit; item ſubinde tactum, cum ſoleant ſomnambuli obſtacula evitare, dirigente eos ſenſu tactus.

OPHTHALMIA.

Ophthalmia eſt inflammatio membranarum oculum inveſtientium, præcipue tunicæ albugineæ: Dividitur

1) in *externam & internam leviorem*, & in *chemoſin*. *Externa* adnatam, ſcleroticam, & ſubinde etiam palpebras occupat. *Chemoſis* ima oculi, ad usque retinam penetrat cum febre acuta inflammatoria, delirioque; ubi dein ſuppuratio, & oculi plenaria jactura ſequitur.

2) In *Xerophthalmiam* ſive *ophthalmiam ſiccam*, quæ vera ſanguinea inflammatio eſt, absque humore ex oculis fluente, cum ardore, dolore, ad lucem præcipue.

3) Et in *ophthalmiam humidam*, ubi oculus rubens ſerum acre & copioſum fundit. Eſtque defluxio vel catarrhus oculi, quales e. g. poſt retropreſſam perſpirationem, item tempore auſtrino frequentes ſunt, variaque no-

nomina ſortiuntur pro varia, quam occupant, parte, ita ut modo coryza, ſi ad nares, angina ſeroſa, ſi ad fauces, raucedo ſive βϱογχος, ſi ad guttur, & catarrhus ſive tuſſis catarrhalis, ſi ad pectus, rheumatismus ſi ad muſculorum membranas, tendines, ligamentoſasque partes transferantur, adpellari conſueverint.

Dividitur ulterius in *idiopathicam*, quæ alterius morbi ſymptoma non eſt, & in *deuteropathicam*, *ſive etiam ſymptomaticam*, *uti ophthalmia venerea*, *ſcrophuloſa*, *periodica* ſub qua febris intermittens latet.

Ad inſtituendam *curationem* noſſe adcurate oportet ſpeciem ophthalmiæ. Sic ſi ſit *ophthalmia ſicca*, ſive vera oculi inflammatio, profunt ſequentia:

1) Si diſpoſitio aut plethorica aut phlogiſtica in corpore ſit, venæ ſectio in brachio vel melius adhuc in vena jugulari, ſi vero malum mere topicum ſit, proderit ſcarificatio in nucha, & adhuc potentius juvant hirudines, circa oculum & ad tempora poſitæ. Nam in omni inflammatione id probe tenendum, evacuationem ſanguineam quam proxime ad locum inflammatum inſtitui debere.

2) Si dolor vehemens fuerit, proderit vaporem aquæ tepidæ admittere ad oculum,

item

item lacte tepido ſæpius eluere, donec dolor remiſerit.

3) Diæta excarnis & absque vino.

4) Pediluvia. Emulſa nitroſa, ſerum lactis. Prægreſſis his omnibus collyria refrigerantia, & fracta dolorifica tenſione, manente tamen adhuc ob vaſorum laxitatem, rubedine, modiciſſime adſtringentia proderunt, qualia ex ſaccharo ſaturni, floribus zinci, camphora parari poſſunt. Toto tempore oculus dolens velamine tegatur. Proderunt & cataplasmata & flores ſambuci, medulla panis & pulpa pomorum acido-dulcium. Purgantia & veſicantia in hac ſpecie adeo non conveniunt, ut malum inde plerumque augeatur. Purgantia enim inflammationem *veram* non tollunt, eamque ſi *univerſalis* ſit, ſemper exacerbant, *topicam* vero ſæpius reddunt pertinaciorem. Quamcunque enim mite purgans ſit, tunc numquam operabitur absque aliquo humorum circulantium majori motu. Neglectus hujus obſervationis facit, ut medicus ſæpe miretur dolorem oculorum venæ ſectione levatum, dato poſtridie purgante, ut ajunt antiphlogiſtico, denuo recrudeſcere. Univerſim tanquam canon practicus aſſummi poteſt, eundem morbum *per ſe, &* *ex ſua natura* nunquam ſimul & purgans &

ve-

venæ ſectionem, exigere, etſi ſæpe contingat, ut utrumque adhiberi debeat, morbo ſcilicet ipſo alterum expoſcente, alterum quodam ſymptomate urgentiori, poſtulante. Ex eadem ratione veſicantia nocent, ut inde mirari non oporteat, ſi ophthalmias ſiccas veſicantibus exacerbatas toties videamus.

Cura ophthalmiæ ſeroſæ conſiſtit in eo, ut depoſita ad oculum materia ſeroſa aliorſum ducatur, evacueturque, &

2do ut labefactata, debilitataque vaſcula in oculo denuo firmentur. Primæ indicationi ſatisfacit purgans antiphlogiſticum omnium optime, ſubinde & ſudorifera, aliaque alias excretiones promoventia ſatisfaciunt; huic ophthalmiæ veſicantia dicata ſunt, quæ irritando vicina vaſcula ſerum ibi depoſitum expediunt, evocant, & diaphoreſin (quem effectum veſicantia ſemper præſtant) ob reſorptum ſtimulum augent. Venæ ſectio in hac ſpecie non indicatur, & in ſubjectis debilibus, ſæpe catarrhoſis, depoſitionem ſeroſæ materiæ redderet pertinaciorem; nihilominus tamen ſi plethora, aut ſtatus ſimul phlogiſticus ſanguinis adſit, ophthalmia ſeroſa in ſiccam tranſire, aut cum vera oculi inflammatione jungi poſſet. In ophthalmia ſcrophuloſa, ubi glandulæ palpebrarum præprimis ſcrophu-

phuloſa materia infarctæ ſunt, quam ſpeciem ophthalmiæ ex ſcrophulis aliis aliarum partium facile dignoſces, prodeſt mercurius dulcis, ſolventia, roborantia, cortex peruvianus, aquæ ferratæ, eaque omnia, quæ contra ſcrophulas celebrata ſunt.

Ophthalmiam veneream ſanat mercurius interne datus, & externe in collyrio adplicatus. Periodica ophthalmia, quæ, uti febris intermittens ſolet, regulariter redit, absque ſolo cortice curatur.

In curandis ophthalmiis obſervandum eſt:

1) nulla repercutientia topica adhibenda facile eſſe, niſi ſimul & alia coindicata in auxilium vocantur.

2) Ophthalmia negligenda nunquam eſt, omniaque protinus adplicanda, cum ſæpe ſubito malum increſcat, & æger de oculo periclitetur.

3) Cum vix familia ſit, quæ ſuum proprium collyrium non habeat, adeo ut inumera remedia celebrentur, cautus ſit medicus, ne facile quid admittat, cujus compoſitionem ignoret, aut quod ex valide adſtringentibus vel vero ex acribus, irritantibus, componatur, quæ ophthalmias graviores faciunt, ſarcoſim albuginemque producunt.

4.) Circa collyria hæc obſerventur. Flores zinci in collyriis frequenter adhiberi ſoliti in aqua non ſolvuntur, hinc ſemper ailquid mucilaginis ſem. Cydonior. vel gummi tragacanthæ addi debet, quo ſuſpenſi tenentur flores zinci. Idque inſuper obſervetur, ut lagenula, quæ aquam ophthalmicam continet, ſemper ante uſum probe concutiatur. Sacharum ſaturni ad grana iij — iv. pro uncia aquæ leniſſimum adſtringens medicamentum efficit, totumque in aqua diſſolvitur. *Taylori* aqua ophthalmica conſtat ex momento ſalis ammoniaci & ſacharo ſaturni, quod in ſeroſis ophthalmiis egregie convenit, cum leniſſime ſtringat, & exiguo ſuo ſtimulo vaſa ad ſui contractionem excitet. Collyria quibus opium ineſt, perniciosa ſunt. Qui frequenti defluxione ad oculos laborant, bis terve per diem oculos frigida eluant, ut ſic robur debilitatis vaſis oculi inducatur. In ophthalmia hac ſeroſa, pertinaci, uti ob languidum humorum motum, materia ſeroſa ad oculos depoſita denuo in circulum reduci non poteſt; fibra inerti, torpida, ſtatu liquidorum aquoſo convenit remedium ab *Hippocrate* laudatum, ubi ait, *vini meraci potio ophthalmiam ſolvit.* Si poſt adplicatum collyrium oculus inde vehementius doleat, aqua

tepida, ſi ſit ophthalmia ſicca, frigida vero ſi ſeroſa fuerit ophthalmia, eluatur.

ANGINA.

Ad morbos faucium explicandos delapſi ſumus, quos inter primum ſibi locum vendicat *Angina*.

Definitio. Eſt autem angina ſenſu latiori accepta, *impedita valde*, aut *dolens deglutitio*, vel *reſpiratio*, vel *utrumque ſimul*.

Diviſio mali hujus eſt in anginam *mere topicam*, absque vitio ſcilicet alio, reliqui corporis, & inter *anginam ſymptomaticam*, quæ alterius morbi ſolum ſymptoma eſt.

Symptomaticæ hæ anginæ omnium ſunt frequentiſſimæ; & eo curatius conſiderandæ, quo magis inter ſe diverſæ ſunt, diverſamque opem poſtulant.

Anginæ ergo ſymptomaticæ æque propemodum variant, ac ipſæ febres, quibus tanquam ſymptoma *angina* ſupervenit hinc alia diviſio anginæ fit

1) in *inflammatoriam* ſi huic malo anginoſo febris inflammatoria comiſceatur, ſive ea cauſſa anginæ ſit, ſive effectus. Hæc anginæ ſpecies in *ſuppuratoriam*, *gangrænoſam* & *ſcirrhoſam* ſubinde abit. Item in aliam

quam-

quamdam anginæ ſpeciem nuper primum deſcriptam, quam peculiariter *morbum ſtrangulatorium* appellant, quem una cum aliis anginæ ſpeciebus poſtmodum explicabimus fuſius.

Dividitur

2) *in pituitoſam* ſive *febri pituitoſæ* junctam

3) in *rheumaticam*, ubi *febris rheumatica* adeſt. Hanc ſubinde *catarrhalem*, & *feroſam* appellant,

4) in anginam *febris bilioſæ ſymptomaticam.*

5) in anginam *eryſipelatoſam*, *morbilloſam*, *varioloſam*, *ſcarlatinoſam*, *urticatam*, *petechialem*, & *miliarem*, & tandem in *gangrænam vere malignam*. Dividitur

6) in anginam *veneream*, *ſcorbuticam*, *aphthoſam*, *mercurialem*,

7) in anginam *ſpuriam in ſcrophuloſis*, *item in iis*, *qui ex ingenti parotide non deglutiunt*,

8) in anginam *convulſivam*, *hyſtericam* & *hypochondriacam* & in anginam *paralyticam*.

Diviſio hæc deſumpta ab ipſa febris natura optima videtur, cum ejusdem ipſa medendi methodus innitatur.

Sed alia quoque diviſio, ſeu potius ſubdiviſio ſupereſt, non prætereunda, quam maxime antiquis ſcriptoribus medicis debemus.

Alia enim angina dicitur *cynanche*, ac ſi diceres, ſtrangulatio canina; ea eſt inflammatio glottidis, ejusque muſculorum, absque apparente tamen extrinſecus tumore. Hæc anginæ inflammatoriæ ſpecies ad morbos plerumque acutiſſimos, & cito perimentes pertinet. Etenim rimam glottidis, partesque ibi membranaceas occupans febrim validisſimam ſibi junctam habet. Præterea, cum ipſa glottidis rima afficitur, facile fit, ut membranæ ex inflammatione tumentes voci & ſpiritui meatum intercludant. Sic æger ex ſuffocatione perit aut potius ex ſtrangulatione intra breviſſimum tempus, intra horas videlicet XXIV. aut etiam citius. Noſcitur hæc ſpecies anginæ, ex acutiſſima febre, dolore circa caput aſperæ arteriæ, quin tamen tumor ullus conſpicuus ſit, ex voce acutiſſima, clangoſa, reſpiratione parca, erecta, dolente, & ex extrema anxietate.

Alia eſt *ſynanche* quæ œſophagi initium afficit, quæve lingua depreſſa conſpectui patet.

Alia *paracynanche*, quæ levior eſt, & ſuperficiaria glottidis, vicinarumque eidem partium affectio, leviorque e. g. inflammatio. Aliam vocant *paraſynanchem*, quæ conſtrictores faucium, uvulam, velum pendulum pa-

la-

lati, tonſillas, tubam Euſtachii obſidet, & lingua etiam non depreſſa conſpectui patet.

Alia demum anginæ ſpecies ipſam internam aſperæ arteriæ ſuperficiem afficit, ſedemque ſuam habet inter caput ejusdem aſperæ arteriæ, & inter ejus in bronchia diviſionem. Quodſi vero malum inferius, atque infra hanc in bronchia diviſionem hæreat, jam non ad anginam morbus hic pertinebit, ſed ad pectoris affectiones, peripneumonias, pleuritides, catarrhos.

Ad ultimam hanc anginæ in aſpera arteria locatæ ſpeciem pertinere videtur ſupra nominatus morbus, quem *ſtrangulatorium* appellant, deſcriptum ab *Homio* Clar. *Roſenſteinio*, aliisque quibusdam Sueciæ medicis. Morbi *ſtrangulatorii* indoles & hiſtoria hæc eſt. Infantibus maxime frequens eſt, & qui 12 ætatis annum ſuperarunt, rarius inde afficiuntur, Incipit more illo conſueto cum horripilatione, calore, pulſuque febrili. Accedit dolor per totam aſperam arteriam cum reſpiratione difficili, facili tamen deglutitione. Quibusdam anteriora colli mediocriter tument, dolentque ad attactum. Febris augetur, pulſus fit durus, ſicut in inflammatis ſolet. At repente graviſſima reſpiratio fit, & creberrima, dolor evaneſcit, pulſus concidit, & cito pereunt.

eunt. Subinde membranaceum canalem per os rejiciendo, aut quasdam quaſi membraneas lacinias expectorando ſanantur. In cadaverum vero ſectione deprehenditur craſſa membrana aſperam arteriam intus conveſtiens, uti & bronchia, quæ facile deglubi atque extrahi poteſt. Morbum hunc populis quibusdam ad ſeptentrionem ſitis magis frequentem, ſæpe epidemcium inter infantes maxime, atque etiam contagioſum pronunciant.

Interim tamen, ſi omnia adcuratius penſitentur, morbus hic *ſtrangulatorius* (die hæutige Bræune) idem eſſe videtur cum angina illa *inflammatoria*, quæ, non caput aſperæ arteriæ, quemadmodum in cynanche fit, ſed ipſam internam potiſſimum aſperæ arteriæ ſuperficiem afficit. Repentina mutatio pulſus antea duri in debilem, repente accedens ſuffocatio, membranaceus canalis qui aſperam arteriam & bronchia intus inveſtit, & poſt mortem facile evelli, extrahique poteſt, item paucorum ſalus per expectorationem ejusdem membranæ, facile mea opinione explicantur, ſi ponamus, materiam phlogiſticam per extrema vaſcula transſudare, & ſuperficiem aſperæ arteriæ oblinire, atque, pro ſua indole, in membranam fictitiam coire. Id ita fieri non raro videmus in pleuritide & peri-

ripneumonia, ubi materies phlogiſtica mobilis redditur, & prava criſi, non in bronchiorum ramos, ſed in cavum thoracis deponitur, ibique coit, ac pſeudomembranam quandam effingit. Sed oculis ipſis uſurpamur hanc criſin in quibusdam tonſillarum inflammationibus, ubi ſerum phlogiſticum transſudat, tonſillasque membrana quadam albida obducit.

Cura, ne hanc alio differamus, hic ſubnectam. Morbum in duo ſtadio dividere oportet; in *inflammatorium* videlicet, & *ſuppuratorium*: in primo ſtadio ſpes ſalutis eſt in methodo ſumme antiphlogiſtica, qualem omnes membranarum acute ſentientium phlogoſes ſemper requirunt. Huc pertinent venæ ſectio, ſectio jugularis, & maxime hirudines ad collum ſcopo diſcutiente. Quodſi vera inflammatio fuerit, veſicans, & ſinapismus nocebit; proderit autem in rheumatica. At vero ſi elapſum primum ſtadium fuerit, vix ulla ſalutis ſpes ſupereſt, niſi æger materiem hanc *puriformem*, aut *phlogiſticam* transſudantem ſputando per os rejiciat, antequam ea coaleſcere in membranam poſſit. Quidam in hoc altero ſtadio ſervati ſunt, orto ſponte vomitu, rejectaque fictitia membrana inter vomendum. Hæc obſervatio quosdam permovit ut in hoc altero ſtadio emeticum

ex-

exhibeant, ut excitato vomitu aliena materies non tam de ventriculo, quam ex aſpera arteria excutiatur.

Interim non omnes morbi ſtrangulatorii ſive anginæ membranaceæ deſcriptiones ita concordant, ut unius ſemper ejusdem ſpeciei hic morbus videatur. *Cl. Gregori* manifeſto aſſerit, ſubinde non inflammatoriam febrim, ſed putridam huic anginæ junctam eſſe. Hinc etiam eſt, quod neque ſemper membrana illa fictitia intus aſperam arteriam obveſtiens obſervetur.

Anginæ inflammatoriæ, ſive ea cynanche, ſive ſynanche, ſive alterutrius levior gradus ſit, omnes notos aliunde jam inflammationis exitus habet. Vel enim benigne reſolvitur, vel in *ſuppurationem* abit, vel in *gangrænam*, vel vero in *ſcirrhum affectæ partis*, hinc novæ anginarnm ſpecies oriuntur, *ſuppuratoria* nempe, *gangrænoſa*, & *ſcirrhoſa*. Subinde angina inflammatoria ſolvitur metaſtaſi materiæ facta ad partem quandam exteriorem, liberatis faucibus. Vel vero fit funeſta aut ſaltem perquam periculoſa depoſitio ad encephalon, vel pulmones, ut angina in phrenitidem, vel peripneumoniam ferme ſemper lethalem abeat. Sed & alius eſt anginæ inflammatoriæ exitus, ſcilicet ſuffocatio, ſi deleta glottidis

ri-

rima ſpiritus intercludatur. Inter cauſſas inflammatoriæ anginæ ea omnia referri debent, de quibus conſtat, quod producendis inflammationibus apta nata aliunde noſcuntur. Cauſſæ hæ eo facilius in actum deducentur, ſi quis frequentes jam antea anginas habuerit, ſi fauces fuerint irritatæ vento aſpero boreali admiſſo, ſudante corpore. Indicationes communes hic morbus habet cum aliis inflammationibus, hinc methodus maxime antiphlogiſtica adhibenda. Evacuationes ſanguineæ per venæ ſectionem in brachiis, per hirudines e directo loci affecti adplicatæ, per ſcarificationem colli, per venæ jugularis apertionem, vel per ſectionem raninæ. Mirum eſt, quantum venæ ſectio topica proxime locum inflammatum inſtituta poſſit. Conveniunt, ſi *dolor magnus* ſit, cataplasma emolliens, ipſi dolenti parti adplicandum, collutorium tepidum emolliens. At vero doloribus jam mitigatis præferenda ea ſunt, quæ emolliunt ſimul, ſimulque diſcutiunt. Interne nitroſa emulſa, aliaque congeneris ſpeciei medicamenta conveniunt.

An hic purgante antiphlogiſtico revulſionem ſic dictam tentare oportet? An veſicans ipſi cervici adplicandum? Quæſtio hæc gravis eſt, cum diverſa hic praxis vigeat, & opiniones diverſæ. Verum ſi in mentem re-

du-

ducamus, quod adſit primo *febris inflammatoria* univerſalis & ſecundo quod ſimul topica faucium inflammatio jungatur, facile utramque hanc de veſicante & purgante quæſtionem reſolvemus. Inflammans cantharidum vis ab ipſa morbi indole contraindicatur. Nemo enim abſorptos intra humorum oceanum cantharidum ſtimulos antiphlogiſticos compellabit. Præterea ſi loco affecto emollientia unanimi conſenſu conveniant, neutiquam irritans veſicans conveniet. Sed & ipſa luculenta obſervatio veſicantium uſum damnat, cum exacerbatam a veſicante anginam inflammatoriam videamus, quam pridie inſtituta venæ ſectio jam mitigaverat. Hinc uti in aliis quibusdam anginæ ſpeciebus ſummopere prodeſt, ita in hac neutiquam indicatur. Legite *Baglivium* & *Tralleſii* nuperrime editum libellum, qui tamen confudit rheumaticam inflammationem cum vera. De purgante facile conſtabit, ſi conſideremus, purgans in omni *febre inflammatoria*, præcipue ſi juncta ſit viſceris cujusdam peculiaris inflammatio e. g. in vera & inflammatoria pleuritide, aut enteritide, aut nephritide, neutiquam convenire & ab omnibus damnari. Si ergo in renum, hepatis, veſicæ, pulmonum inflammatione purgans unanimi conſenſu noceat, qui fieri poteſt

teſt, ut illud in angina inflammatoria præſcribamus, quæ a pleuritide non niſi per accidens differt? Sed quid, ſi *in cynanche* ob affectam glottidis rimam ſuffocatio inſtet? quid ſi in ſynanche ob œſophagi ſupremam partem diu inflammatam impoſſibilis deglutitio ſit? an non confugere oportet ad medicamentum valide revellens, ad purgans validum? neutiquam certe, etenim idem faceres, ac ſi gravem pleuritidem, vel nephritidem ſævam curare purgantibus velles.

In primo caſu imminentis ſuffocationis bronchotome non difficilis, nec periculoſa operatio mox inſtituta ægrum ſæpiſſime conſervat. In altero vero abolitæ deglutitionis, convenit omni bihorio libram ſemiſſam juris carnium inſulſi per modum enematis injicere.

2) Balneo aquæ, præcipue ſi lactis quædam portio admiſceatur, inſidere, ut reſorpto per vaſa inhalantia nutrimento corpus interea ſuſtenter. Proderit tunc corpus ægri, poſtquam e balneo ſurrexerit, recenti amygdalarum oleo blanda manu oblinire, ne perſpirantia vaſa abſorptum humorem non tam cito aut facile dimittant.

In angina illa Homii *ſtrangulatoria*, *ſive membranacea*, cum ea ex Roſenſteinii obſervationibus plerumque inflammatoria ſit, ſpes om-

omnis cum eodem autore in methodo hucuſque recenſita, antiphlogiſtica videlicet collocatur. Interim cum ſubinde eandem anginæ membranaceæ ſpeciem alia febris, putrida nempe comitetur, methodum quoque medendi ipſi principi morbo adaptare oportebit. Et univerſim pro canone nunquam ſatis inculcando haberi debet, in anginis febribus, quales pleræque ſunt, non tam ſpectandam ipſam faucium affectionem, ſed ipſam potius comitantis febris indolem.

Quodſi angina inflammatoria benigna reſolutione non terminetur, accidit, ut abſceſſus noſcatur, & alia modo anginæ ſpecies, quam *ſuppuratoriam* dicunt. *Suppuratoria angina* in paraſynanche ſive poſt tonſillarum inflammationem haud periculoſa, nec infrequens eſſe ſolet. Id hic notandum, ut maturatio acceleretur & abſceſſus aperiatur, cum tumor ita nonnunquam aſſurgat, ut fretum oris penitus intercludatur, & omnis deglutitio impoſſibilis fiat. In aliis inflammatoriæ anginæ ſpeciebus ſuppuratio haud exſpectanda eſt, quod locus affectus, uti e. g. œſophagus, caput aſperæ arteriæ, ipſa arteria aſpera vel nullam admittant ſuppurationem, cum æger citius plerumque aut pereat, aut ab inflammatione liberetur, vel vero, ſi etiam ad-

admittant, graviſſime a ſuppuratione ibi loci nata multarentur. Id hic noto, plures eſſe, qui tonſillas ſuppuratas ſibi ex inflammatoria angina afferant, etſi nil cicatricis, aut conſumpti per ſuppurationem corporis tonſillarum advertatur. His autem nulla reipſa ſuppuratio facta, ſed ſerum phlogiſticum per laxum tonſillæ corpus transſudabat, & in membranam albidam coibat tonſillas inveſtiendum & pus mentientem. In angina ſuppuratoria depurantibus & conſiderantibus utendum. Alius anginæ inflammatoriæ exitus cum omni ſæva inflammatione communis eſt, gangræna videlicet. Hinc *angina gangrænoſa* poſt inflammatoriam naſcitur. Duplex autem eſt anginæ gangrænoſæ ſpecies. Vel enim fauces prius inflammatæ nunc gangræneſcunt, vel vero *nulla etiam prægreſſa*, mox a morbi principio gangræna corripiuntur. Prima ſpecies anginæ gangrænoſæ poſt inflammationem natæ plerumque lethalis eſt, etenim ſummæ inflammationis effectu. Si quid tamen ſpei ſanandi mali effulgeret, ad corticem, camphoram, & acida mineralia confugiendum foret. Aliæ anginæ gangrænoſæ ſpecies ſuperſunt hic explicandæ. Sic angina gangrænoſa alia eſt protopathica, ubi mox in principio morbi livor & gangræna faucium obſervatur. Hæc ſpecies etiam

ma-

maligna appellatur & a diverſis autoribus fuſe deſcribitur. Alia angina gangrænoſa eſt *deuteropatica*, qualis in ſcarlatina itemque in aphtis faucium deprehenditur. Has omnes paulo poſt fuſius explicabo. Alius anginæ inflammatoriæ exitus eſt, ſi pars inflammata indureſcat, tumida perſiſtat, attamen absque dolore. Sic anginam ſcirrhoſam habebimus. Raro ea felicitas contingit, ut quis ſcirrhum eumque præcipue diutius durantem reſolvat. Tentanda interim cicuta & aconitum, cum antimonii præparatis. In tonſillis ex infarctu pituitoſo, *non inflammatorio* induratis, adeoque in ſpecie quadam ſcirrhi improprie ſic compellati, hæc medicamenta fauſte non raro adhibita fuerunt, etſi ſcirrhum verum ex indurato ſero phlogiſtico natum rarius multo & difficilius ſolvant. Explicatis diverſis anginæ inflammatoriæ ſpeciebus, diverſoque ejusdem exitu, pervenimus ad aliam anginæ ſpeciem, quam rheumaticam alii appellant. Anginam rheumaticam febris *rheumatica* comitatur, quam duplicis eſſe originis aliunde novimus. Etenim febris rheumatica alia eſt inflammatoria, ubi pulſus fortis, plenus, ſanguis cum cruſta craſſiſſima, non contracta; alia vero rheumaticæ febris ſpecies a prava materia ex primis viis reſorpta & ad

cor-

corporis ſuperficiem delata naſcitur. Hæc febris rheumaticæ diſtinctio ad ſanandam tam anginam febris comitem, quam ipſam febrim ſumme neceſſaria. Etenim in prima illa febris rheumaticæ ſpecie, quam *inflammatoriam* dixi, veſicans ad totum collum adplicatum, inſtituta prius una, vel duabus, vel etiam ſubinde nulla venæ ſectione, intra paucas plerumque horas ablatam deglutiendi facultatem reſtituit. Male hic ad methodum mere antiphlogiſticam confugitur, cum experientia conſtet, quod hæc angina non niſi tarde, & cum ingenti jactura ſanguinis ſolvatur, niſi in veſicante mature adplicato ſalus & cita morbi ſolutio quæratur. Cataplasmata emollientia hic plerumque fruſtranea ſunt, laxam tonſillarum fabricam magis relaxant, & depoſitionibus rheumaticis magis reddunt obnoxiam. Purgantia æque ineſſicacia ſunt, & præter rheumaticam inflammationem, ſubinde etiam *veram* accerſunt. Frequens nobis occaſio confirmandæ hujus praxeos oblata in noſocomio eſt, ut de ejus præſentia neutiquam amplius poſſit dubium moveri. Ceterum præter veſicans amplum anteriori collo adponendum æger ea aſſumat, quæ diluunt humores, & perſpirationem absque ſtimulo promovent. Copioſum infuſum florum ſambuci, tiliæ, acaciæ,

ver-

verbaſci, cum melle & nitro calide epotum. Serum lactis vinoſum calide hauſtum, gargariſma diſcutiens, omnem hoc in caſu paginam abſolvit. Circa finem morbi, ubi diſcuſſa phlogoſi ſolus tonſillæ laxior habitus reſtat, proderit fauces ſæpius eluere infuſo foliorum ſalviæ addito roob dianucum, ut firmato tonſillæ corpore æger a futuris anginis præmuniatur.

Aliam febris rheumaticæ ſpeciem multis obſervationibus demonſtratam a prava præcordiorum materie reſorpta oriundam ſuperius dixi: huic frequenter angina jungitur. Verum diverſam ab ea, quam paulo ante explicui, medendi methodum tam febris ipſa, quam angina febris ſymptoma requirit. Præmiſſis ſolventibus, ſalinis, leniora ſed diutius protracta purgantia proſunt, nocet per ſe venæ ſectio & tam febrim quam ipſam anginam auget. Collutoria, cataplasmata cujusque generis inutilia ſunt, nocet veſicans in morbi principio adplicatum, ubi materies adhuc circa præcordia hoſpitatur, cum veſicans perſpirationem augeat, quod cum ægri detrimento fit, quamdiu primæ viæ adhuc impuræ ſunt. Item veſicans alvinam excretionem tardiorem, parcioremque reddit, quod contraindicatur. Promptius auxilium in hac

anginæ rheumaticæ ſpecie in prompto emetico reperitur.

Angina mucoſa, ſive pituitoſa ſymptoma eſt febris pituitoſæ. Febris hæc a pituitoſo humorum ſtatu oriunda varias depoſitiones non raro facit. Si materies pulmones maxime occupet, erit *peripneumonia pituitoſa*; vel *peripneumonia Sydenhami notha*, ſenilis aliis dicta; quamvis non ſolum ſenibus, ſed etiam infantibus & his maxime, frequens morbus ſit, ut qui ex pituita commota febricitant, & peripneumonicorum in morem reſpirant. Verum ſi in febre pituitoſa glandulæ colli tonſillæque infarciantur, tumeantque, erit *angina pituitoſa*. Dignoſcitur hæc ab aliis anginæ ſpeciebus ipſa natura febris principalis.

2.) Ex eo, quod æger quidem aliquam in degluriendo difficultatem ſentiat, ſed eam plerumque non magnam, niſi ingens glandularum tumor adſit.

3.) Quod calor tumentium tonſillarum naturalis ſit, nullaque adſint, primis ſaltem morbi temporibus, ulcuſcula, eroſiones, nullæ.

4.) Quod tonſillæ etiam ad attactum duræ, & non, aut parum dolentes ſint.

5.) Quod angina hæc tarde ut plurimum increſcat, difficulter ſanetur, & facile non diſſolvendos tumores relinquat. Difficilis non raro curatio eſt, & ſi morbus per aliquot ſeptimanas duraverit, ferme nunquam ſanabilis. Indicationes ſunt, lenta potentiori remedio, etiam glandulas penetrante, incidere, eam evacuare. Hinc ſalita remedia, item antimonii præparata conveniunt, ſulphur auratum, kermes, interpoſito ſubinde leniori aut purgante, aut emetico. Verum cum infarctus glanduloſi etiam huic methodo ſubinde non auſcultant, utendum erit & veſicantibus pone locum affectum adplicandis, & diſcutiente gargariſmate. Interim ne hac quidem ratione ſemper tolli malum poteſt, & tumor faucium, indolens ut plurimum, per omnem vitam manet. Angina hæc pituitoſa verno maxime tempore obſervatur, & puellas, easque laxiores debilioresque magis infeſtat. Vidimus exempla curatæ & non curatæ anginæ pituitoſæ.

Alia anginæ ſpecies ea, quam *eryſipelatoſam* dicunt. Angina eryſipelatoſa ſtricte febris eryſipelatoſa eſt, ſed eryſipelate non in faciem aut partem quandam aliam, ſed in fauces, tonſillasque projecto. Eſt itaque eryſipelas faucium. Dignoſcitur ab aliis ſpeciebus per id, quod æger per aliquot horas, vel

etiam

etiam dies alterne caleat, frigeatque, demum accedente angina a febre liberetur, aut ſaltem multo mitius febricitet. Fauces colore purpureo ſunt, tumentque, & hinc inde maculis, quin & ulcuſculis cinereis obſidentur.

Cura hic primo ad ipſam febrim eryſipelatoſam dirigenda eſt, dein ad fauces eryſipelate corruptas. Ut juſtam eryſipelatoſæ febri medicinam faciamus, noſſe oportet & originem ejus, geneſimque & variam complicationem.

Tiſſotus, *Kloekhof*, *Bianchi* aliique ſedem eryſipelatoſæ febris circa *ſyſtema*, ut ajunt, *biliferum* quærunt, eamque in materie biliformi non qualicunque, ſed acri, volatili partim & attenuata quærunt, cujus pars reſorpta febrim, & ſi ad partem quamdam corporis projiciatur, depoſitionem facit quaſi criticam, eryſipelatoſam. Hinc eſt, quod eryſipelas adultæ æſtatis & autumni progenies ſit, & ad eandem familiam pertineat, ad quam reliquæ febres bilioſæ; hinc eſt, quod raro aut nunquam febrim eryſipelatoſam obſervemus absque ſignis bilioſis.

Cura conſiſtit in leni & frequenti alvi ductione, mediante multo tartari cremore, caſſiæ, tamarindorum pulpa, ſero lactis tamarindinato; aut ſi hæc non ſufficiant, in leni

ni emetico, præmiſſis ſolventibus; repurgato ventriculo & inteſtinis, cura ad vias ſecundas convertenda eſt, danda leniſſima aut diuretica aut diaphoretica ſunt, quæ reſorptas omnes biliofas particulas eluant. Qui frequentibus eruptionibus eryſipelatoſis obnoxii ſunt, his biliferum ſyſtema corrigendum victu aceſcente vegetabili, omiſſis pinquibus, ranceſcentibus, roborandumque ſtomachicis, amaricantibus, cortice peruviano. Hæc eryſipelatoſæ febris cura eſt, quotiescunque ea ſimplex & alteri cuidam febri non permixta; verum verno tempore, itemque hyemali, ubi frequentiores inflammationes ſunt, materies febrim eryſipelatoſam producens aliam ſimul ſibi ſociam adſciſcit, inflammatoriam nempe. Hinc fit, ut duplex methodus & *antiphlogiſtica* & *antibilioſa* debeat adhiberi. Quodſi in eodem morbo complicato utraque hac methodo opus ſit, antiphlogiſticam omnium primo, dein primum antibilioſam, fracta jam inflammatione, oportet in uſum trahere.

Ex hac perbrevi & eryſipelatoſæ febris, & ipſius anginæ eryſipelatoſæ deſcriptione apparet,

1) male agere, qui hanc febrim ſolis diaphoreticis, iisque forte validioribus aggrediuntur, & regimine calido,

2) male itidem etiam illos agere, qui meris venæ ſectionibus morbum frangere tentant, idque maxime autumno & æſtate, ubi febris eryſipelatoſa cum inflammatione rarius complicatur.

3) male agere, qui externe repercutientia adplicant, ſaturnina, uti ceruſſam, utut vulgus ita ſoleat. Præſtant diſcutientia, camphorata.

4) cum eryſipelatoſa materies admodum ſeptica ſit, hinc aquoſa, item pinguia haud fert, ſed iisdem adplicatis cito ulcera peſſima producit. Hæc communior origo eſt ulcerum cruris, ab eryſipelate nempe, aut aquoſis fomentationibus, aut pingui emplaſtro, vel unguento tractato.

5) ex his conſtat, quid faciendum, ſi eryſipelas ſubito fauces deferat & ad encephalon deponatur, nam cathartico emeticum, quod choleram quaſi artificialem excitat, & mota emeſi veſicans ad externam colli partem ægrum vindicant.

6) in angina eryſipelatoſa gargarismata conveniunt diſcutientia, antiſeptica, præcipue camphorata.

Alia *anginæ* ſpecies eſt ea, *quæ febrim miliarem comitatur*. In hac ſpecie tonſillæ parumper tument, & puſtulis miliformibus

al-

albis, & dein ulcusculis albicanti margine donatis, circularibus occupantur. Angina hæc oritur ab ipſa materie illa miliari ad cutem projecta, & ipſæ puſtulæ albicantem faucium tonſillarum, labiorum, buccarum (nam omnes hæ partes obſiduntur) a miliaribus per externam corporis ſuperficiem diſſeminatis non differunt, niſi loco. Ulcuſcula hæc aphthoſa in membrana faucium laxa, & loco ſemper humido ſubinde ſerpunt, & latiores etiam plagas ac exulcerationes faciunt.

Alia *angina febri ſcarlatinæ jungitur* fere ſemper, quæ eandem explicationem admittit, quam illa prior ſpecies in miliaribus obſervanda. Pars nempe materiei ſcarlatinam eruptionem producentis ad fauces deponitur. In ſcarlatina fauces gravius & frequentius afficiuntur, atque ita, ut ulcera lata, profundaque non raro naſcantur, ob vim ſcarlatinoſæ materiæ magis ſepticam, perniciofam magis. Conveniunt in utraque ſpecie gargariſmata diſcutientia, dein vero ortis jam exulcerationibus indicantur gargariſmata antiſeptica, ex decocto corticis peruviani, marubii, abſynthii, ſcordii cum vino rubro, camphora, ſyrup. berberis, roob dianucum. Item linctus ex roob mororum cum ſpiritu ſalis acido. Item ubi late & cito putredo fauces cor-

ri-

ripuit, prodeſt gargarisma ex libra una & dimidia decocti corticis vel alterius cujusdam corticis, e. g. quercini, ſalicis albæ, cum unciis duabus ſyrupi mirtillorum, & ſesquidrachma — ij pulveris aluminis. Aut ſolutio quævis aluminoſa. Aut gargarisma ex decocto corticis, cum ſpiritu vini camphorato.

Angina maligna, peſtilentialis a *Grantio*, viro ceteroquin maximo, qui mea opinione optimam de febrium natura deſcriptionem dedit, tanquam novus morbus deſcribitur, qui circa annum 1728 innotuit. Peſtilentialem appellat, quod cum febre maligniſſima, eaque contagioſa jungatur. Cl. hic vir plures addit hiſtorias anginæ hujus. Verum ſi has rite excutiamus, vix novum ibidem morbum reperiemus. *Maligna hæc angina* comitabatur febrim modo ſcarlatinam, petechialem, miliarem, harumque non qualemcunque, ſed pejoris notæ, quæ cito gangrænam inducit. Eandem *hanc malignam Cl. Huxhamus* fuſe deſcripſit in peculiari diſſertatione.

Morbus hic oritur tempeſtate frigida, humida, nebuloſaque; invadit more febrium gaſtricarum cum horrore, calore, capitis temulentia, raucedine, tuſſi aliqua, ventriculi vitio, & alvi dejectionibus, præcipue in in-

infantibus qui nonnunquam ſeverius afficiebantur. — Omnes queruntur magnam ſpirituum abjectionem, ſubitaneam debilitatem. — Pulſus deprehenditur celer, parvus & tremulus. — Urina pallida, tenuis, cruda. Quidam, adulti præcipue, urinam parce mittunt, & profunde tinctam, aut turbidam ſero ſimilem — Oculi apparent graves, rubri, & quaſi lachrimoſi, os plenum ſæpius, rubrum & tumidum, ſubinde tamen pallidum & triſte. Etſi morbus per diem tolerabilis videtur, noctu tamen exacerbatur plerumque cum delirio, aut phrenitide. — Paucis horis ante morbi invaſionem, nonnunquam ipſo initio tonſillæ inflammantur. Interdum glandulæ parotides & maxillares ſimul tument, idque ita ſubinde, ut ſtrangulationem minitentur. Fauces colore ſumme florido, rubroque ſunt, nitentque uvula, tonſillæ, velum palatinum, & poſterior pharingis pars variis albidis, vel cinereis maculis, quæ ſæpe *ſubito* augentur, & in lata profundaque ulcera abeunt, conſpergitur. Linguæ apex humidus quidem, ſed radix ejus impura, craſſa, lutea, aut brunei coloris. Habitus nauſeoſus, & fere intolerabilis. Reſpiratio difficilis vox non acuta, nec ſonus ille latrans, qualis in inflammatoriis anginis eſſe ſolet;

ſed

ſed raucedo & vox obtuſa, qualis in iis percipitur, qui fauces habent ulceribus venereis obſeſſas. Profluvium materiæ ſanioſæ & rodentis ex naribus & ore. Quibus malum aſperam arteriam; tandem & pulmones corripit; & peripneumonica morte enecantur. Adſunt in hac anginæ ſpecie exanthemata varia & vario morbi tempore, modo quaſi eryſipelatoſa, modo puſtuloſa magis, & miliformia. Subinde rubor tantum brachiorum adeſt, quaſi, ut ait *Huxhamus* ſucco ribeſiorum illita cutis eſſet, quem ruborem etiam nos hac verna tempeſtate aliquoties vidimus. Duratio morbi diverſa, diverſa quoque hujus ſolutio eſt. — Sanguis venæ ſectione detractus aut floridus eſt, & rarus, laxusque, ut penna illum facile diffundas. In epidemia anni 1752 ſanguis ab Huxhamo obſervatus nullum relinquebat ſerum, ſed ita apparebat, qualis eſſe ſolet, ubi eidem ex vena profilienti mox ſpiritus cornu cervi affunditur, qui ejus naturalem coagulationem impedit. Subinde tamen pellicula alba, phlogiſtica, ſed tenuis emiſſum ſanguinem obtegit, ſubinde cruſta *plumbei coloris virideſcens*. Subinde loco tenacioris cruſtæ, mollis gelatina reperitur ſanguini emiſſo ſuperpoſita. Notandæ hæc ſanguinis hucusque deſcripti conditio eſt, nam non

in hac ſolum angina, ſed in omni ferme maligna febre, petechiali, miliari, ſcarlatina, caſtrenſi, carcerum, noſocomiorum, item in omnibus fere febribus bilioſis talis ſanguinis emiſſi facies eſt. Etſi ſanguini emiſſio, fallaciſſimæ utpote rei, parum ſit confidendum.

Conſideranti mihi deſcriptiones hujus anginæ varias, eas præcipue, quas vir ſummus *Wilhelmus Grant*, & quas ante ipſum *Huxhamus* dedit, illud venit in mentem, anginam hanc malignam non eſſe peculiarem morbum, ſed febris aut petechialis, aut miliaris, aut ſcarlatinæ intenſiorem ſolummodo gradum, ubi ſolidorum robur dejectum, & vis vitæ iminuta adeo eſt, ut fauces exulceratæ, quin non fauces ſolum, ſed tota corporis compages gangrænam minetur.

Cura Huxhamiana conſiſtebat maxime in omnis generis antiſepticis, iisque fortioribus, evacuatis, aut etiam non evacuatis primis viis, prout e re videbatur. Dedit is mixturas ſalinas ex ſale abſynthii, aut ſale volatili cornu cervi ac ſucco limonum, addito pulvere contrajervæ & myrrhæ pauxillæ. Item julapia ex camphora, aut aceto camphorato cum ſyrupo ribeſiorum nigrorum, aliisque. Demum tincturam ſuam corticis peruviani alexipharmacam, quam ipſo cortice in ſub-

ſtan-

ſtantia dato multo, tunc utiliorem obſervavit. Fors quod debilis ventriculus potius tincturam, quam crudum corticem perferret, ſubigeretque. Dedit item vitrioli elixirium. Gargariſmata adhibuit ex decocto ficuum, florum roſarum rubrarum, item ex vino pomaceo auſtero cum melle & myrrha. Subinde tincturam myrrhæ cum ſpiritu vitrioli commiſcit, & cum aceto camphorato, quibus os eluebatur. De parotidibus frequenter his obſervatis id ſtatuebat: aliqua hos tumores ex parte criticos eſſe, hinc eos maturabat adplicantibus cataplasmatibus acribus, quin ipſis adeo veſicantibus. Quodſi longo poſt morbum tempore tumor glandulæ parotidis alias non diſcutiendus reſtaret, dedit is exiguis calomeli, ſive mercurii dulcis doſes, interpoſitis lènioribus & rhabarbarinis purgantibus.

Angina varioloſa. Oritur hæc anginæ ſpecies in ſecundo tertioque ſtadio variolarum. Ut huic nonnunquam moleſtiſſimo, quin aliquoties etiam letali ſymptomati auxilium feramus, dignoſcere oportet varias ejus in vario variolarum ſtadio cauſſas.

In primo ſtadio vix fauces affici ſolent, & ſi id fiat, rheumati exiguo faucium id erit ſimile.

Ve-

Verum in ſecundo ſtadio puſtulis fauces occupantibus irritatio, & difficilis deglutitio oritur. Conſtat per ſectiones corporum varioloſorum cum ab aliis, tum & *Cottunio* neapolitano anatomico inſtitutas, epiglottidis, utramque faciem, lateralia ejus ligamenta confuſiſſimo puſtularum agmine occupari non raro. Item variolis obſideri ſuperiorem totam tracheæ partem, glottidis ſcilicet ligamenta, laryngis ventriculos, item ipſam aſperam arteriam ad usque ramorum diviſſionem, quin ipſa bronchia, eorumque diviſiones puſtulatas obſervari non nunquam. En cauſſam, quare ſubinde in ſecundo variolarum etiam benignarum ſtadio quidam ſubinde non opinantes ſuffocantur. Accedente ſtadio tertio, allecta copioſa materie ſalivali, aſſurgentibus in tumores tonſillis, major & reſpirationis, & deglutitionis præcipue difficultas oritur. Tandem in ſtadio quarto, exareſcentiæ dicto, in confluentibus præcipue variolis, ubi facies inſignius tumet, ſuffocationis periculum, inter dormiendum præcipue, non infrequens eſt, ob aggeſtum humorem craſſum, & inſigniores glandularum tumores.

Cura anginæ hujus non in meris certe collutoriis conſiſtit, ſed efficacioribus utendum remediis, ſi ſuffocationis metus urgeat.

Ne

Ne variolæ hoc potius in loco, quam alio erumpant, nemo medicorum efficere valebit, hinc puſtulæ caput aſperæ arteriæ ipſamque tracheam & bronchia occupantes præcaveri haud poterunt; at vero faucium tumores & periculoſus ſubinde humorum ad fauces afflu-xus imminuitur datis mature purgantibus re-mediis, quæ ſalivam affluentem, purulentam materiam & perſpirabile retentum ſub inte-gumentis capitis, & in laxis faucium membra-nis reſtitans, ac coacervatum, aliorſum, ad alvum maxime, dein etiam ad urinas deter-minant.

Angina aphthoſa nunc veniret explican-da, verum hæc eadem plerumque eſt cum illa ſpecie anginæ, quam *miliarem*, *petechia-lem*, *ſcarlatinam* diximus.

Febris aphthoſa, aphthæ etiam non fe-briles ad morbos quoque gaſtricos, vel ipſis adeo in infantibus pertinent. Lac enim acre-dine vitiatum in ventriculo recens nati, aci-dum, cujus portio poſt ſuctionem crebris & ructibus & vomitibus in os rejicitur, ibique rodendo, inflammando papulas dein & ulcus-cula producit. Verum de aphtis infantum tunc differemus, ubi horum morbos erimus pertractaturi.

An-

Angina convulſiva morborum ſpasmodicorum ſymptoma eſt. In ea nec in faucibus, nec in cervice quidquam conſpicuum eſt, attamen reſpiratio cervice erecta obitur, & aboletur deglutitio. Per ſe ſubinde oritur, atque non raro citam mortem infert. Plerumque tamen alterius morbi ſymptoma eſt, ut adeo ejus periculum ex ipſo principe, quem comitatur, morbo metiri oporteat. Morbi hyſterici & hypochondriaci frequens comes eſt, ubi œſophago binis in locis fortiter conſtricto, intermedius aër expanditur, rareſit, & incumbentem ſibi tracheam in partem anticam urget, ſpeciemque præfert globi, quem hyſtericum appellant. Obſervatur hæc angina præterea in hydrophobia, tetano, item in vulneribus gravioribus. *Zwingerus* Act. Helv. T. III. hanc obſervavit poſt digiti lacerationem, ſecuto univerſi corporis tetano. Poſt nimias evacuationes hanc quoque anginam letalem videmus.

Cadaveris ſectio nullum in faucibus vitium oſtendit, niſi quemdam arteriarum & venarum turgorem excipias.

ODONTALGIA.

Dolores dentium paucis parcunt, & ſæviſſimi ſæpenumero ſunt.

Ad tres cauſſas potiſſimum reduci poſſunt.

1) Cariem dentium vel ad inflammationem nervuli ad dentes pertingentis.

2) Vel membranæ dentis radicem ambientis.

3) Ad depoſitionem materiæ ſeroſæ.

In carie dentium nervulus denudatus, acri materia, aere, cibo, potusque calore, motu irritatur, doloresque excitat vehementiſſimos. In carie longius jam profecta dentis exſtirpatio ſola juvat, qua neglecta vicini dentes, imo & maxime vitium idem contrahit, malo latius ſerpente. At vero, ſi dens modice tantum exeſus ſit, juvabit illum filo ferreo candente inurere, aut probe purgatum plumbo replere, quo omnia aliena corpora a nervulo prohibentur. In hoc caſu ſunt, qui ſpiritu vitrioli, aut ipſa aqua regia dentem deſtruant, at cum periculoſa horum remediorum adplicatio ſit, merito rejiciuntur, eorumque loco caſſia caryophillata ad dentem carioſum adplicatur, id quod mediante goſſypio optime peragitur. Hunc in finem eſſentia opii a multis laudatur. Liquor ano-

dy-

dynus mineralis Hoffmanni hac ratione adplicatus mali progreſſum pulchre ſiſtit.

Si cauſſa dolorum inflammatio ſit, pulſus erit febrilis, plenus, fortis, facies rubra, gingivæ calentes admodum, dolores capitis, ſubinde tumere gena incipit, ceſſante dolore dentium. Hæc inflammatio oritur poſt ingeſta acria, poſt vigilias, compotationes, exercitia nimia, ſuppreſſas evacuationes ſanguineas. Finitur ſæpe tuberculo ſuppurante. *Cura* antiphlogiſtica, venæ ſectio, aut potius hirudines ad maxillam adplicata, emulſa, nitroſa optime conducunt. Ad tuberculum ſuppurans ficus in lacte cocta adplicari debet. Nocent omnia remedia calida, quæ in carie dentium laudata antea fuere. Nocent itidem veſicantia in hac odontalgiæ ſpecie. In decubitu frigido materiæ ſeroſæ, mucoſæ, ad dentem facto dolor ſæpe æque atrox, ſed prius deſcripta inflammationis ſymptomata deſunt, oriturque a perfrigeratione retropreſſa perſpiratione. Hinc proſunt purgantia, poſt purgans perſpirationem reſtituet, materiamque decumbentem difflabit decoctum lignorum, infuſum florum ſambuci, acacior, & tiliæ cum roob ſambuci, veſicans ad nucham poſt aures, ad angulum maxillæ. Facta itidem purgatione proſunt pilulæ de ſtyrace,

opium,

opium, theriaca, quædam acria mucum evocantia e. g. fumus nicotianæ, maſticatoria acria. Nocet per ſe venæ ſectio.

Sunt homines quidam debiles catarrhis variisque morbis a laxitate & mucoſo humorum ſtatu oriundis frequenter tentati, quive ob eandem cauſſam graviter dolore dentium affligantur. His roborandum totum corpus, & debilis corporis compages firmanda eſt, ut a moleſto hoc dentium dolore immunes præſtentur. Hic nocent omnia evacuantia, omnium vero maxime venæ ſectio; cortex palmare remedium in hoc caſu eſt. Curati quidam ſunt ſolo vini, cui antea non aſſueverant, potu.

Odontalgiam periodicam cortex, uti omnes febres intermittentes, ſpecifice tollit.

PALPITATIO CORDIS.

De vario hydrope thoracis alibi actum eſt, hinc ad alias pectoris morbos nos convertemus, & palpitationem cordis accuratius examinabimus.

Palpitatio cordis a medicis vocatur ejus valida & violenta contractio, qua cruorem propulſum ſibi fortius obſtantem, vel quamcunque aliam reſiſtentiam ſuperare nititur.

Cauſæ autem omnes palpitationis ab obſervatoribus adnotatæ hærent vel in *partibus ſolidis ipſius cordis*, eique vicinis irritatis, aut organico vitio laborantibus; vel ſecundo *in fluidis* per cor & vaſa movendis, vel tertio in *nervorum mobilitate & conſenſu*.

Ad claſſes has generales cauſarum ſpectant ſequentia:

1) Cor vergens in callum vel os; cor magnum dilatatum; cordis inflammatio, abſceſſus, excreſcentia, valvulæ ejus induratæ & calloſæ, accretio pericardii ad cor, induratio pericardii. Aneuriſmata aortæ, & arteriæ pulmonalis. Hæ ipſæ arteriæ calloſæ, cartilagineæ, oſſeſcentes, calculi & vermes in pericardio, corde, polypi cordis & vaſorum majorum; pulmones infarcti & ſcirrhoſi.

2) Humorum copia & plethora, aut eorundem motus exercitio corporis, febri acuta, vel intermittente acceleratus. Suppreſſio excretionum conſuetarum ſive ſanguinearum, ſive ſeroſarum.

3) Humorum immeabilitas, ſpiſſitudo glutinoſa, cacochymica, phlogiſtica ſanguinis.

4) Acrimonia irritans, ſcorbutica, arthritica, venerea, ſcabioſa, aliaque, quæ vel cum ſanguine adhuc oberrat, vel ab ex-

terio-

cerioribus repulſa partes internas occupat. Acria effluvia inſpirata. Acrimonia ulceroſa, gangrænoſa.

5) Defectus ſanguinis boni, aliorum bonorum humorum, vel ab inedia, vel a profuſione eorundem nimia.

6) Animi pathemata magna, & ſyſtematis nervoſi mobilitas in debilibus, hypochondriacis, hyſtericis, chloroticis.

7) Conſenſus nervorum ab affecto capite, tum etiam a vermibus inteſtina rodentibus, item a flatibus illa extendentibus.

Adeo valida diuturnaque ſimul cordis palpitatio, ut coſtas foras urgeat, easque continua pulſatione afferat. Venæ ſectio ſubinde curat, ſæpius vero ſolummodo palliat morbum, molem movendorum ad tempus minuendo. Leniora, & antiphlogiſtica purgantia, blanda acida, & nitrum, orgasmum humorum compeſcendo, multum ſæpe faciunt. Qui ab aneurismate cordis aut vaſorum majorum cordis palpitationem patiuntur, ſupra recenſitis uti debent, ſimul etiam ab omnibus iis abſtinere; quæ motus humorum, aut eorundem molem augere poſſunt. Hinc otium & tenuis ac vegetabilis diæta iis convenit, nocet vinum, ira, venus & opiata, notante *Hoffmanno*.

Qui palpitationes cordis ab atonia ſpirituum ſola, aut a terrore ſubito incuſſo patiuntur, iis conveniunt ea, quæ nervis amica habentur, meliſſa, mentha, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, ſpirituoſa & anodyna, opiataque. Ceterum facile patet conſideranti, nullam in hujus morbi curatione medelam univerſalem aſſignari poſſe, utpote quæ ex varia morbi cauſſa repeti debeat.

T. U. S. S. I. S.

Morbos pectoris a tuſſi ordiemur; plerorumque, aut fere omnium pectoris morborum ſymptomate.

Tuſſim vocant medici violentam & ſonoram aeris inſpirati, larynge antrorſum moto & elevato, excuſſionem, qua id, quod per vias aereas ejici poteſt, impetuoſe per os ejicitur.

Cauſſa proxima. Oritur autem ab irritatione nervoſæ & maxime ſenſibilis membranæ interioris aſperæ arteriæ & bronchiorum, indeque nata conſtrictione veſicularum, & canalium bronchialium, ab inferioribus ad ſuperiora, & convulſione diaphragmatis, muſculorum thoracis, & abdominis. Hinc tuſſis cauſſam ſuam proximam ſemper habet in pectore, neque aliam formare ideam poſſumus de

de cauſſa tuſſis, quam quod ſit omne id, quod poteſt irritare nervos laryngis, aſperæ arteriæ, & bronchiorum. Interim tamen cauſſæ remotæ ſede ſua differre poſſunt, modo enim hæret in ipſa trachea, & bronchiorum membrana, organisque reſpirationi inſervientibus, pulmonibus; diaphragmate, pleura, mediaſtino, muſculis, intercoſtalibus; modo in diſſitis partibus habitat, & demum per conſenſum nervorum, intercoſtalis & paris octavi ad pectus, irritabilemque illam membranam propagatur. Hinc diviſio naſcitur in *idiopathicam* & *ſympathicam*: de utraque ſingillatim.

Ad primam claſſem referri debet *Tuſſis ab inſpiratis irritantibus*; quæve ſpecie fumi, vaporis, pulviſculorum, exhalationum cum aere remixtarum, interiori membranæ aſperæ arteriæ adplicata tuſſim excitant.

Hæc tuſſis artificibus familiaris eſt notante Cl. *Ramazzini* in diatribe de morbis artificum. Ita a ſpirituum acidorum mineralium, aceti calidi, ſulphuris fumo & vaporibus, tuſſiunt chemici & pharmacopæi. A farinæ tenuiſſimæ particulis cum aere volitantibus molitores; a tenuiſſimis arenulis inſpiratis ſtatuarii & lapicidæ; ab aere igneis particulis gravido vitriarii; a pulviſculis plumbi & lythargyrii, metallifuſores, ac figuli; a

cal-

calcis vivæ atomis ore hauſtis fabri murarii. In his caſibus omnibus laudant practici incraſſantia, mucilaginoſa, uti decoctum raparum, oleum amygdalarum, quin etiam panem butyro illitum talibus artificibus comedendum ſuadet *Ettmüllerus*; attamen magis directa medela habetur a vaporibus ex aqua & lacte ore hauſtis, vel mediante infundibulo ſuctis, qui membranam irritatam blande inungunt, ſpicula pungentia obvolvunt, horumque excuſſionem a locis irritatis, lubricando facilitant.

Sequetur *tuſſis a peregrinis corporibus inter edendum rimam glottidis ſubeuntibus*; item *a muco viſcido hærente in lacunis membranæ aſperam arteriam intus veſtientis; vel thrombo, aut calculoſa materia in ventriculis laryngis hoſpitante, tum & a polypoſis concretionibus, & tumoribus varii generis cavum tracheæ occupantibus.* A corporibus inter ridendum, loquendumque deglutitis, ubi quid ſimul rimam glottidis ſubintrat, vehementiſſima tuſſis oritur, ſi corpus fuerit liquidum; a rebus vero ſolidis ſæpe dira ſuffocationis neceſſitas ſecuta eſt in inſtanti. Mucus induratus, calculi & thrombi vix ſciuntur, niſi ejecti, vixque oppugnari poſſunt, ut decet; inhalationes tepidorum vaporum emollientium princeps alioquin forent remedium. Polypi & tu-

tumores inter cauſſas latentes, & immedicabiles referendi. Ariditas interioris tracheæ raucam ſiccamque tuſſim progignit, a defectu humectantis in corpore oriundam, febribusque continuis, inflammatoriis & ardentibus familiarem. Motus citatior humorum & calor in febre obvius abigit liquidiora ſanguinis, ſerumque ejus denſat & inſpiſſat; igitur ut linguæ & toti oris cavo, ita & interiora tracheæ deeſt illud humidum, quod fibras reddit molliusculas. In caſu febrili, vel etiam non febrili, præſtantiſſimum remedium ſuppeditat aer inſpiratus, per artem tepida humiditate impraegnatus. Item emulſiones ſeminum frigidorum, & decocta mucilaginoſa. Ariditati tracheæ jungi debet vera membranæ ejus inflammatio, ſive ſuperficialis illa ſolummodo ſit, aut eryſipelacea, ſive profundior, ſive morbus princeps ſit, uti ſynanche, ſive ſolum febris inflammatoriæ præegreſſæ ſymptomata. Tuſſis inde nata ſicca, ſtridula, clangoſa, moleſtisſima curari debet cum morbo principe. Vapores aquoſi blandique optimi uſus ſunt.

Tuſſis, quæ cum coryza, gravedine & raucedine complicata, ab acri tenui ſero tracheam internam ſollicitante provenit, *catarrhalis* dici conſuevit. Hunc catarrhum vocamus ſeri naturalis majorem e glandulis circa

ca-

caput & fauces effluxum in ſenſu ſtrictiori; ſi hæc definitio extenderetur ad omnes corporis glandulas, diarrhœa *catarrhus inteſtinorum*, & fluor albus *catarrhus* uteri adpellari deberet; at *Schneiderus* notionem hanc catarrhorum nimium extendebat. Hic ſaltem de faucium, & aſperæ arteriæ, pulmonumque catarrho ſermo eſt. Glandulæ innumeræ a *Morgagnio* optime deſcriptæ inhærent toti ſuperficiei interiori tracheæ, præcipue in poſtica ejus parte & in interſtitiis cartilaginum Hæ glandulæ in tela celluloſa locatæ membranam nervoſam interioris tracheæ ſuis oſculis perforant, eamque muco pellucido, blandiſſimo, quam Boerhaavius in opuſculo anatomico de fabrica glandularum egregie deſcripſit, perpetuo illiniunt. Tales glandulæ & in bronchiis, bronchiorumque ramificationibus copioſæ reperiuntur, quare in omnes harum partes catarrhi notio cadit.

Alia ſpecies catarrhi eſt, quam *habitualem* & *chronicam* appellamus, quæve a depravata ventriculi coctione, omniumque humorum ſeroſa intemperie in glandulas labefactatas depluente pendet, ſed hac alibi. Catarrhus, de quo agimus, maxime oritur a ſuppreſſa ſeri tenuiſſimi excretione, quod per ſuperficiem corporis perpetuo difflatur,

tur, ejusque ſuppreſſi retentique regreſſu, & depoſitione ad aſperam arteriam, vel pulmones. Verum & in ipſa interna tracheæ & bronchiorum ſuperficie inſpiratus aer frigidus perſpirationem ſupprimit, vaſculorumque exhalantium oſtia conſtringit. Hinc accumulantur a tergo appellentes humores, vaſaque extenduntur, a qua extenſione ſola fit irritatio. Accedit accumulatæ colluviei ſeroſæ immiſta pungens acrimonia, quæ dum in coryza tanta eſt, ut nares, os, partesque cute tecta arrodat, & excoriet, & in membrana pituitaria Schneideri ſternutationem, in oculo ex glandula innominata profluens, ardentem & doloroſam lippitudinem, in faucibus anginam catarrhoſam ſeu ſeroſam efficiat. Quid mirum, ſi in ſenſibiliſſima tracheæ membrana eosdem effectus producat, irritando, rodendoque.

Indicationes ſunt ſerum, acre luxurians in corpore, & præcipue ad tracheam depoſitam revellere, per convenientia collatoria eliminare, id quod per alvum, urinam, & ſuperficiem corporis optime fit, deinde acrimoniam involvere, demum tumultus ab irritante ſero concitatos ſopire. Ad alvum movendam hoc in caſu optime convenit emulſio mannata, quæ ſimul etiam acrimoniam involvit. Abſoluta purgantis operatione, prodeſt

opium

opium convenienti doſi ante ſomnum propinatum, cum ſyrupo de althea, vel ſucco liquiritiæ, vel emulſo, exhibitoque prius pediluvio tepido, hac enim ratione diaphoreſis reſtituitur, quies pulmonibus, tuſſi verſus veſperam & noctu moleſtiſſima conquaſſari ſolitis, conciliatur. Remedia ſpirituoſa, acria longe abſint. Theriaca, pilulæ de cynogloſſo, quæ per excellentiam catarrhales dicuntur, item pilulæ de ſtryace, quæ in diſpenſatorio vienneuſi contra tuſſim ferinam etiam pertinaciſſimam laudantur, vim ſuam ab opio habent. Etſi ob alia acria, ex quibus componuntur, minus bene conveniant. De opiatis in tuſſi *Wedelius* aſſerit, ea optime prodeſſe, ſi tuſſis ſit a tenui, acri, mobilique ac facile difflabili materia.

Excipit tuſſim catarrhalem *tuſſis pectoralis humida, habitualis medicis dicta*, a materia lenta viſcida magna copia & diu in pulmonibus delabente originem ſuam trahens, uti glandulæ tracheales & bronchiales quando ſerum tenue & acre fundunt, catarrhalem tuſſim progenerant, ita ſi lentam & viſcidam pituitam, cui nil vel parum acris immiſtum eſt, ſuppeditent, tuſſim pectoralem humidam, eamque habitualem, mucoſamque faciunt. Si tuſſis catarrhoſa prius deſcripta diutius pro-

tra-

trahatur, ſi nimium emollientibus, lubricantibus, tepidis aquoſisque tractetur, malique diuturnitate laxitas glandularum trachealium bronchialiumque inducatur, id demum contingit, ut ingens humorum crudorum, lenteſcentium affluxus ad pulmones fiat, & dicta tuſſis habitualis generetur. Hæc tuſſis in praxi ſæpe cum phthiſi male confunditur, in eam tamen tranſire poteſt, ſi mucoſam materies acrimoniam contraxerit, & labefactatos pulmones ſenſim exedat. Quin & alia ratione phthiſis oriri poteſt, ſi ſcilicet tuſſis frequentia & vehementia rumpantur hinc inde aliqua vaſcula, & ſanguinem fundant, quæ dein ob continuum viſceris motum coaleſcere prohibita in exigua, latiusque ſerpentia ulcuscula tranſeunt, niſi forte rupto majori vaſe hæmoptyſis & demum vomica oriatur. Sed etiam absque continui ſolutione, ob ſolam glandularum vaſorumque laxam debilitatem, eousque humores crudi in pulmonibus accumulantur, ut omnia, quæ corpus nutrire debebant, in mucum inertem fatiſcentia bonam partem expectoratione rejiciantur, tabeſcente corpore. Id quod tamen præcipue contingit, ſi oleoſis mucilaginoſisque copioſis morbus tentetur.

Curatio hujus morbi poſcit ſequentia:

1) Ut

1) Ut ingerantur talia, quæ ſolvendi vi gaudent, ſimulque digeſtioni, quæ ſemper in hoc malo dejecta eſt, proſpiciunt.

2) Ut materia lenta reddatur mobilis, & affluxus ad pulmones ab iisdem avertatur, vicariis iisque convenientibus excretionibus inſtitutis.

3) Ut, his prægreſſis, tuſſis novum ſemper affluxum cauſſare ſolet, non obſtante vicaria evacuatione, ſi nimis urgeat, veſperi conſopiatur.

4) Ut vaſa pulmonis relaxata roborentur, quo ulterior muci decubitus prohibeatur.

His indicationibus ut ſatis fiat, abſint farinacea non fermentata, glutinoſaque. Incidentia, ſaponacea, herbæ antiſcorbuticæ, dictæ, ſuccus taraxaci, ſonchii, ſenecionis præſcribantur. Materies ad renes & alvum potius determinetur leni excitata diarrhœa, roborante rheo, vel ſi viſcidus nimium lentor peccet, purgante apte reſinoſo, mercurio dulci acuato. Sordes hæ mucoſæ non bene ad cutis ſuperficiem amandantur, cum alvus ſit proprium mucoſæ materiæ, notante Hoffmanno, colatorium. Interponi vel ſubjungi poteſt uſus balſamicorum lenium, myrrhæ, ſuccini, olibani, maſtichis, gummi ammoniaci, aloes &c. cum ſucco liquiritiæ in pilulis

re-

redactorum. Opiata, quæ in catarrho a fluxione tenui orto adeo laudantur, monente *Wedelio*, *Williſio*, & *Hoffmanno*, in tuſſi a materia lenta viſcidaque non debent exhiberi, niſi ſolventibus præmiſſis, & evacuatione muci jam facta, & tunc ſolum, ſi prægreſſis his omnibus, tuſſis adhuc perſeverat vehemens. Notat enim Cl. *de Gorter*, ſi multum viſcidi adſit, anodynis ſæpe ſuffocationem induci. Ultimæ indicationi difficulter ſatisfit, omnia enim quæ roborandi vi pollent, agunt primum in primas vias, vaſa coarctant, contentaque fluida exturbant, & aliorſum, præcipue vero ad pulmones relaxatos determinant. Magni uſus eſt rheum ſenſim roborans, & ſimul revellens: neque tamen uſu caret cortex peruvianus in decocto, ſed maxime juvat, ſi id levius primo, dein ſaturatius exhibeatur, melle edulcoratum. Pulchre quoque proſunt pilulæ ex olibano, maſtiche, ſarcocolla, myrrha, ſucco catechu, therebinthina, ſucco liquiritiæ exceptis. Vix vero datur aliud & præſentius roborans, quam aer ſerenus & ſiccus, ſub equitatione maxime in hoc viſcus admiſſus, vel fumo ex adſperſo prunis ſuccino, maſtiche, olibano, ſtyrace, gummi benzoes medicatus, & crebro inſpiratus. Talia ſuffimigia in genere lau-

laudarunt *Meibomius* & *Schulzius* peculiaribus diſſertationibus. Fumum ejusmodi roborantem, in tuſſi humida cum membranæ internæ relaxatione, excellere dicit *Cl. de Gorter.*

Prodeſt quoque ejusmodi ægris vere & æſtate ruſticari, & inter abietes ac pineta verſari; aëremque therebinthinaceis effluviis fœtum, inter ambulandum inſpirare.

Venimus ad *tuſſim epidemicam*, cujus cauſſa cum aere excepta ipſi tracheæ & bronchiis ſeſe infigere apta eſt. Generari poteſt in aere acer ſtimulus, qui ore exceptus varios morbos excitare ſolet. Nam in ventriculum & inteſtina deglutitione delatus, cardialgias, vomitiones, diarrhæas, dyſenterias, febres epidemicas excludit, at inſpirationi tracheam ingreſſus tuſſes generat epidemicas, easque febriles, aut etiam non febriles. Hic ſermo non eſt de leviori illa tuſſi epidemica, quæ ſoli frigidiori aeri ad calens præcipue corpus admiſſo debetur, & catarrhalis nuncupatur; neque de paulo graviori, quæ auſtro & aquilone ſubitis viciſſitudinibus alternante oritur; ſpiraculis cutaneis modo late patentibus, modo, idque repente, conſtrictis. Nam & hæcce tuſſis ad catarrhales refertur, utraque vero nihil acris malignive habet. Verum ſi æſtate fervidiſſima prægreſ-

ſa

ſa, autumnus ſequatur frigidiuſculus, tuſſes inde natæ non mere catarrhales ſunt, ſed ſeptici quid, malignique, quod in aere oberrare ſupponitur, habent. Tuſſis hæc ſubinde ſola affligit, ſubinde vero febre ſtipatur. Talem tuſſim epidemicam, quæ anno 1580 totam fere Europam pervagabatur, notavit *Sennertus*, Aliam, cui febris pleuritica aut peripneumonica ſupervenerat, notavit *Sydenhamus* ab anno 1675. In curatione talium tusſium indaganda ratio conſtitutionis epidemicæ eſt, indeque medendi methodus repetenda. Nam in illa a *Sennerto* deſcripta ſummopere nocuit venæ ſectio, profuere purgantia & incraſſantia pectoralia. In ea vero a *Sydenhamo* notata requirebatur venæ ſectio & demum catarſis. Non vacabat vericulo tusſim anodynis aggredi; aut calidis remediis. In alia tuſſi epidemica pariter a *Sydenhamo* obſervata febrili, in cujus medela ſudorifera non profuerunt, ſed facile pleureſin invitarunt, anodynis & pectoralibus omiſſis, venæ ſectionem, catharſin, & epispaſtica adhibuit optimo cum ſucceſſu.

Non omittenda illa tuſſis eſt, quæ cauſſam habet totam humorum maſſam acrimonia ſpecifica infectam. Huc ſpectat *cachectica*, *arthritica*, *rheumatica*, *eryſipelatoſa*, *vario-*

loſa, morbilloſa acrimonia, aqua hydropis calidi, pus & ichor humoribus inhærens. Facile patet, hic curari morbum principem debeti, non autem tuſſim, quæ tamen, ſi valde urgeat, nihilque contra indicet, narcoticis ſubinde falli poteſt. Ad hanc tuſſim illa etiam revocari debet; quæ oritur, ſi acris materies antea in partibus ignobilioribus externis hærens, inque has vi vitæ depoſita, prava vero metaſtaſi ad interiora denuo recurrens in tracheales & bronchiales glandulas deponitur, tuſſimque irritatione ſua excitet. Huc ergo ſpectat tuſſis ex ſcabie, tinea, achoribus, eryſipelate, arthritide, podagra, ſero œdematoſo, ſudore pedum, ſordibus acribus ex vetuſtis crurum ulceribus, ſi retroprimantur, recedantque. Cura fit per ea, quæ a pectore revellunt, & ad loca attrahunt, quibus antea materies inhæſit; quare alvum laxantia, pediluvia, fomenta, epiſpaſtica, veſicantia, fonticuli, diuretica, ſudorifera &c. pulchre proſunt.

Contemplabimur modo tuſſim ſiccam juvenum plethoricorum, narium hæmorrhagiis antea aſſuetorum, item fœminarum ſuppreſſis menſibus laborantium. Cauſſa hujus tuſſis eſt largior ſanguinis ad pulmones affluxus, vaſculaque ejus diducta ac tumida, ſenſimque

aneu-

aneurismatica & varicoſa reddita, quibus adjacentes membranoſæ cellulæ bronchiales premuntur, irritanturque. Hæc tuſſis violentis concuſſionibus facile in hæmoptyſin, rupto ſcilicet vaſe aneurismatico, varicoſoque abiit.

Curatio in eo vertitur, ut impetuoſus ſanguinis affluxus a pulmonibus avertatur, rupturæ periculum prohibeatur; hinc conveniunt ſanguinis miſſiones, purgantia antiphlogiſtica, talia ſcilicet quæ ſine acri ſtimulo agunt, emulſiones nitroſæ, pediluvia tepida. Abſint motus corporis paulo fortior, acria, aromatica, comeſſationes, vinum. Quod ſi hæmoptoe jam nata ſit, cruore in veſiculas extraverſato tuſſimque irritatione ſua producente, & hœmoptoën novam comitante, narcoticum poteſt; quod tuſſis ſymptomaticæ violentiam compeſcat; modo reliqua quæ directe indicantur, peracta jam ſint. In omni vero alio hujus morbi ſtatu narcotica non conveniunt. Verum præterea notandum, emollientia, lubricantiaque procul abeſſe debere, cum vaſa turgida relaxent, majorem ad pectus ſanguinis affluxum producant, atque, præcipue ſi nulla evacuatio humorum præegreſa ſit, vaſorum dehiſcentiam & crepaturam reddat faciliorem.

Tuſſis phthiſica ad ſpecialem de phthiſi tractationem pertinet.

Pertractatæ ſunt hucusque tuſſes idiopathicæ, quas modo ſympathicæ ſequuntur, interque has primo loco *tuſſis ſtomachica* pathologis appellata. In hac tuſſi cauſſa latet in ventriculo variis cruditatibus ſcatente, a quarum mole & acrimonia irritatio propter nervum intercoſtalem, & per vagum propagatur ad diaphragma, pulmones, tandemque ad ipſorum membranam nervoſam, tracheam & bronchia intus veſtientem; multum quoque facit œſophagus aſperæ arteriæ adhærens, & nervulorum utrique propriori communicatio; item tranſitus œſophagi per diaphragma. Symtomata ſignaque hujus tuſſis ſunt; gravitas & intumeſcentia ventriculi, dejectus appetitus, nauſea, lingua ſordida, cardialgia, vomiturtiones, vomitus, quo ſæpe tuſſiendi paroxysmus finitur: Senſus ſtimuli in ſcrobiculo cordis, quoties paroxysmus inſtat; aucta poſt paſtum ventriculi incommoda,

Indicationes ſunto acrimoniam irritantem obtundere, viſcida incidere.

2) Morbi mineram ex ventriculo excutere.

3) Languentem ventriculi functionem reſtituere. Hinc nocent omnia ſic dicta pectoralia, relaxantia, mucilaginoſa, incraſſantia,

tia, oleoſa; ventriculi enim robur enervant penitus, & apparatum crudorum augent. Nocent pariter narcotica *, utpote quæ motum ventriculi, inteſtinorumque reddunt torpidiorem; hincque cauſſam morbi fovent. Miſſis ergo hiſce, proderit ſaburram ipecacuanha excutere, & medicamento mannato pauxillo tartari emetici acuato, ano & cato, exturbare. Proſunt & rhabarbarina, aloetica, ſalibus juvata, omniaque amara digeſtioni amica. Sæpe deprehenditur ſaburra acida mucoſaque, addi tunc abſorbentia alcalinaque poſſunt. Factis debitis evacuationibus roborantibus, ſtomachicis reſtituenda digeſtio eſt.

Tuſſi ſtomachicæ addi debet *tuſſis habitualis cachectica*, ſeorſim conſideranda. Si tuſſis ſtomachica nimium diu perſiſtat, atque inepta medicatione, aut remediorum neglectu habitualis reddatur, reſorpto ſcilicet, & ad vias ſecundas translato crudo apparatu, ſucci viſcidi, pulmones, totumque vaſorum ſyſtema inficient, tuſſimque excitabunt partim idiopathicam, partim vero ſympathicam, cum mali cauſſa utrobique & in ventriculo, & in pulmonibus reſideat. Idea hujus tuſſis rite formatur, ſi ea conſideratur ut conjuncta ex tuſſi pectorali humida ſive habituali, quam ſuperius, & ex tuſſi ſtomachica, quam

paulo ante deſcripſimus. Unice hic indicantur amara, aromatica, ſalina, gummi reſinoſa; ſaponacea, ſolventia ex claſſe roborantium, & alvum leniter ducentium, tandem ea, quæ atoniæ univerſæ, medentur, martialia, equitatio, ſuffitus ex reſinoſis, balſamicisque. Hac methodo ſæpe malum hoc pulchre curatur, quod phthiſin mentitur, ab ea tamen differt, quod materia viſcida ex viridi flaveſcens ſcreatu rejecta fit gluten iners, non autem verum pus, quodque febris abſit, quæ pus in corpore ubicunque latens ſemper ſolet comitari.

Sequitur tuſſis hypochondriaca, quæ cauſſam habet non tantum in ventriculo, ſed profundius etiam in inteſtino, & in omnibus imi ventris viſceribus, vel nimia irritabilitate, vel debilitate, vel obſtructione laborantibus. Cognoſcitur ex aliis morbi hypochondriaci ſymptomatibus. Cauſſa eſt, aut nimia mobilitas, & irritabilitas ſolidorum ſympathice pulmones afficiens, aut in colo latentes ſordes, ſcybala dura, aut ſanguis per ſyſtema venæ portarum non rite motus, ſtagnansque, unde membranæ inteſtinorum & per conſenſum etiam pulmones irritantur. Aut hepatis aut lienis obſtructio & ſcirrhus, qui vicinum diaphragma mole ſua ſollicitat. Tuſ-

ſis

ſis modo ſicca eſt, modo vero humida, tuncque præcipue, cum crudus ſimul primarum viarum apparatns adeſt. Medela peti debet ex cognitione cauſſæ, & curatione morbi principis. Id ſolum animadvertendum, emollientia, relaxantia, oleoſaque hic neutiquam convenire. Egregia curationum huc pertinentium ſpecimina leguntur apud *Hoffmann* Medic. Syſtem. IV. part. III. p. 401. 419.

Tuſſis convulſiva, ſeu ferina, ſpecialem meretur conſiderationem. Eſtque illa ſpecies tuſſis, in qua conatus exſpirandi, omni licet aëre inter tuſſiendum exploſo, tantus, tamque pertinax eſt, ut inſpiratio ad tempus bene longum prorſus inhibeatur, atque propterea ſuffocationis periculum inſtet. Cum motibus artuum convulſivis, ſæpe vehementiſſimis, ad convulſionem univerſalem & epilepſiam usque ſubinde increſcentibus.

Ratio phænomeni hujus quærenda eſt in pulmonibus, diu quaſi a fumo accenſi ſulphuris conſtrictis. Hinc liber per eos ſanguinis tranſitus inhibetur, ejusque a capite refluxus pariter impeditur, unde facies turgida, lividaque quaſi ab injecto laqueo, oculorum illachrimatio, vaſa encephali infarcta, convulſiones, paralyſes, apoplexia.

Tuſſis hæc ſubinde per paroxysmos ſtatim redeuntes invadit, non raro omni alterno die graviores paroxysmi ſunt, Plerumque inſultus tuſſiendi finitur vomitu vel asſumptorum, vel etiam materiæ pituitoſæ, ſubinde tremulæ, inſtar ſpermatis ranarum. Paroxysmus inſtans præſentitur moleſto ſtimulo, ſenſu rei reptantis, ſcalpentis, incipiente a ſcrobiculo cordis, vel etiam a regione umbilicali. Aetatem puerilem, laxos, debiles, fœminas hyſtericas præcipue, virosque mobiles ſæpe vexat. Sæpe epidemica eſt, qualis hoc anno 1775 menſibus Martio, Aprilis, & initio May fuerat. Idque peculiare habet, quod pertinaciſſima ſit, ad duas tresve ſubinde menſes perduret. Sunt, qui unum tantum alterumque paroxytmum, quo tamen vix non ſuffocantur, patiuntur, malo poſtmodum non amplius redeunte.

Certa obſervatio eſt, morbos pectoris qualescunque durante epidemia tuſſis convulſivæ, de morbo prædominante facile quid participare, atque in tuſſim convulſivam abire.

Id præterea conſtanter eſt obſervatum, paroxysmum facillime riſu invitari, concitarique; credo quia in riſu æque ac in tuſſi convulſiva diaphragma repetitis vicibus ſuccutitur ita, ut continuæ exſpirationes nulla inſpi-

ſpiratione interpolatæ fiant. Paroxyſmum inſtantem vidimus retardatum non raro, penitusque emanentem, fortibus, tardisque inſpirationibus.

De ſede multum diſputatur. Id autem videtur, nervos diaphragmatis, & per conſenſum etiam eos, qui pulmonibus inſerviunt, præſuppoſita illorum nimia irritabilitate præprimis affici cauſſa, vero excitans varia variisque in partibus locata eſſe poteſt, erat eadem cauſſa, ac principis morbi epidemici. Hinc explicari poteſt, quare in diverſis epidemiis diverſa remedia proſint, quare in eadem epidemia medela in diverſis ægrotantibus pariter variet; quia ſcilicet etſi *cauſa prædisponens*, ſcilicet nimia partium reſpirationi inſervientium irritabilitas mobilitasque, in omnibus ægrotis eadem omnino ſit, *cauſſa tamen excitans* adeo diverſa obſervetur, quam niſi medicus ſedulo fuerit expiſcatus, cœco modo per varia, ſæpe opoſita remedia absque fructu vagabitur.

Juvat hic plerasque methodos tuſſim convulſivam curandi contemplari:

1) Fuere epidemiæ, ubi venæ ſectio profuit, methodusque antiphlogiſtica. Tunc ſcilicet, quando diſpoſitio peripneumonica adfuit, pulmonum plethora, unde cauſſa excitante per

ve-

venæ ſectionem ablata, tuſſis conticuit. Verum ubi hæc cauſſa non adeſt, patet, fruſtra remedium in venæ ſectione quæri. Interim ubi habitus ægrotantis paulo plenior, tuſſisque vehemens admodum fuerit, ut ruptura vaſorum pulmonalium metuatur, venæ ſectio, etſi morbum non tollat, nihilominus a graviori ſymptomate, ſputo ſcilicet ſanguinis, aut peripneumonia præſervabit.

2) Alio tempore emetica, purgantia per epicraſin data, interpoſitis roborantibus profuere; at tunc tuſſis erat fere *ſtomachica* & ſtimulus excitans in pituita primas vias occupante reſidebat. Hoc in caſu venæ ſectio nocuit, nocuere & hic dicta pectoralia emollientia, lubricantia, oleoſa, mucilaginoſa.

3) Subinde cum emolumento adhibebatur kermes minerale, eo ſcilicet in caſu, ubi mucus iners pulmones obſidens nervos reſpirationi famulantes affecerat. Hoc enim per kermes minerale inciſo, ſputisque copioſioribus ejecto, cauſaque excitante ſic ablata, tusſis conticuit. Sed videmus hanc methodum in aliis ſpeciebus tuſſis convulſivæ prodeſſe non poſſe.

4) Opiata feliciter ſuffocarunt, penitusque tandem profligarunt tuſſim hanc, tunc videlicet, ſi cauſſa excitans ejus indolis fuerat,

rat, uti opio omnium ſudoriferorum potentiſſimo per corporis ſuperficiem potuerit diſflari, mobilisque valde, & tenuis fuerat, quales ſolent eſſe defluxiones ſeroſæ, retropreſſaque materia perſpirabilis. Quod ſi ſtimulus fuerit magis adhuc ſpiritualis, uti e. g. animi pathema, opiata, utpote mentem pacantia, pariter indicabuntur. Sed vidimus pariter narcotica hæc in ea tuſſis convulſivæ ſpecie, quæ pituitæ craſſæ, minusque mobili debetur, vix non ſuffocationem induxiſſe. Nonnunquam, etſi nil mali ab uſu opii obſervabatur etiam largiori, nihilominus tuſſis ne hilum quidem remiſerat, profuit tunc extractum hyoſciami.

Puella 8 annorum omnibus remediis fruſtra adhibitis, tuſſi ab uſu opii nec minimum remittente, a dato vero kermete multum exaſperata, curabatur ſequenti mixtura.

R. Aqu. flor. tiliæ unc. jv.
Mucilag. gummi arab.
Syrupi diacod. aa unc. j.
Extract. hyoſciami gr. ij.
Lapid. cancrorum dr. β

M. Mixtura intra biduum aſſumenda. Doſis 2. Cochlear. major.

Laudantur etiam extractum nicotianæ, quod tanquam narcoticum prodeſſe poteſt.

5) Fuere, qui tanquam remedio ſpecifico utebantur cortice peruviano, eo ſcilicet in caſu, ubi febris intermittens ſub larva tusſis convulſivæ ſtato tempore rediit. Cortex peruvianus pariter indicatur, ubi ſolidorum laxitas, nimiaque irritabilitas præprimis peccat, cauſſa vero excitans ejus naturæ eſt, ut reſtituto corporis vigore aut imutetur ſponte, aut ſola vi vitæ e corpore eliminetur. In aliis autem tuſſis hujus ſpeciebus, aut nocebit aut ſaltem non ſatisfaciet.

6) Viſa eſt tuſſis convulſiva, poſt prægreſſam perfrigerationem, orto autem inter ſcapulas dolore rheumatico conquievit. Datum infuſum florum ſambuci, tiliæ, acaciæ, roob ſambuci fervide epotatum, morbum omnem ex toto profligavit. Hinc deſumitur, tuſſim hanc convulſivam revera *rheumaticam* fuiſſe, a materia nervos diaphragmatis & pulmonum ſollicitante. Veſicantia inter ſcapulas poſita & a multis contra tuſſim convulſivam laudata, etiam hic optatum effectum fuiſſent ſortita.

Univerſim videtur ex hucusque dictis ſequens concluſio formari poſſe. Scilicet omnes ſuperius enarratas tuſſes ſimul fieri poſſe *convulſivas*, ſi antecedenter nimia fuerit partium reſpirationi inſervientium irritabilitas, mobilitasque. Hinc tuſſim convulſivam male ha-

habent tanquam morbum ſpecificum ſui generis; male inſuper inter morbos poſteriorum ſeculorum, quos antiquitas ignoraverit, recenſere, cum omnium ætatum morbus fuerit, etſi non ita adcurate a veteribus deſcriptus; perperam pariter morbis contagioſis, iisque imprimis, qui, uti variolæ ſemel utplurimum eundem hominem toto vitæ ſuæ tempore comprehendunt, adnumerari.

Non negligenda eſt *tuſſis rheumatica*, quæ ſæpe ferina & convulſiva eſt. Rheumatismus in diverſas ſpecies dividitur. Si is in externis partibus reſideat cognitu facilis eſt, at ſi interna occupat, difficulter cognoſcitur, curatuque gravior & periculoſior evadit.

Tuſſis rheumatica non raro tuſſim *catharrhalem* mentitur, a qua ſola duratione, majorique pertinacia diſtinguitur. Uti rheumatismus ſaniſſimis, robuſtiſſimisque ceteroquin hominibus, plethoricis, motis, incaleſcentibus, poſt admiſſum frigus ſæpius accidit, ita ejusmodi hominibus ex eadem cauſſa frequens eſt pectoris internus rheumatismus, inſpirato ſcilicet aere frigido. Diagnoſis eo facilior erit, ſi præter cauſſas prægreſſas geneſi rheumatismi idoneas, adſint partium externarum muſculoſarum & membranacearum dolores, tumores, rubores, præcipue circa articulos, aut

aut ſi diſparente ſubito, & absque bona cauſſa ex partibus internis rheumatismo, viſcus aliquod male affici incipiat. Attendi indoles hujus tuſſis tanto magis debet, cum methodi, quibus aliæ tuſſis auſcultant, ad rheumaticæ tusſis medelam nil faciant. Etenim cum veram inflammationem, ſeroſam licet, quæve in ſuppurationem non abit, talis rheumatismus pulmonalis & trachealis involvet, ſimulque febre ſtipetur, nihil proſunt ſic dicta remedia anticatarrhalia, ſed ea unice indicantur, quæ in rheumatismo externo febrili, ſcilicet venæ ſectiones repetitæ, purgationes antiphlogiſticæ, cum diæta tenuiſſima & blandiſſima.

Tuſſes alias aliis pectoris morbis junctas prætereundas cenſemus, utpote ſymptomata ſolum peripneumoniæ, pleuritidis, læſarum tendinum, dentitionis, vermium &c.

Hæc enim ſymptomata cum morbo ſuo principe ſtant, caduntque, eandemque, quam ipſe morbus primarius, medelam poſcunt. Verum antequam huic de tuſſi tractationi coronidem imponamus, juvat quædam monita & præcepta medica in percuranda tuſſi perſæpe neceſſaria ſubjungere, ſcilicet tuſſim violentis ſuis, iteratisque ſucceſſionibus, quibus totum reliquum corpus validum commovetur, alias inſuper adducere morbos æque graves,

aut

aut ſe ipſa graviores poteſt, unde cita & efficax medela ad avertenda hæc gravia ſymptomata requiritur, aut ſaltem, ſi citam opem medicus præſtare nequeat, corpus reliquum, qua illi ex tuſſis violentia periculum imminet, ſoleret aptis ad id cautelis præmuniendum.

Mala, quæ violentæ tuſſi ſuam ſæpe originem debent, ſunt ſequentia: In capite quidem agrypnia, capitis dolor, ophthalmia, narium hæmorrhagia, vertigo, apoplexia. In pectore hæmoptyſis, & quæ inde ſequuntur mala, febris peripneumonica, gibboſitas; cordis palpitatio, aneuriſmata, metus ſuffocationis. In abdomine vomitus, ſingultus, prolapſus uteri, abortus, hernia, involuntaria alvi & urinæ excretio; in toto corpore debilitas, macies, convulſio, epilepſia. Quosdam ex memoratis affectus, qui ab aggeſto nimio in pulmonibus ſanguine oriuntur, aut ab ejus nimio verſus caput motu, egregie præcavet venæ ſectio, licet eam ipſa tuſſis indoles non requirat. Subinde vero narcotico vim tuſſis ſuſpendere oportet, ſi modo ea morbus indole ſit, ut a narcotico non exaſperetur, dum interea opportuno & efficacia remedio morbi cauſſa expugnatur.

ASTHMA.

Finita tuſſis conſideratione, ad aſthma progrediendum, cujus multiplex omnino facies eſt, pro multiplici ſcilicet ejus cauſſa, multiplici cauſſæ ipſius ſede.

Cauſſa proxima aſthmatis, aut definitio ejus ex rei natura petita, eſt impedita libertas reciprocæ pulmonum conſtrictionis, expanſionisque. Cauſſa vero remota, quæ utrique huic pulmonum motui impedimentum ponit, vel hæret in interna vaſculoſa & veſiculoſa pulmonum ſubſtantia, hancque opplet, obſtruit, conſtringit; vel ab extra proprius aut remotius pulmones comprimit, liberamque eorum actionem impedit; vel pendet a vitio nervorum reſpirationi famulantium. Interdum plures, diverſæque cauſſæ ad producendum aſthma concurrunt.

Cauſſa pulmones opplens & obſtruens eſt materia lenta viſcidaque in bronchiis ſtabulans: ſerum hydropicum in cellulas bronchiales effuſum; hydatites; ſanguis plethoricus, menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſione retentus, celerius per vaſa motus, inflammatorius; tubercula cruda, vomica; pus ſtagnans & exedens, ſcirrhus.

Cauſſa conſtringens cellulas bronchiales eſt, acris materia ſanguini inhærens, vel dum ex ſanguinis maſſa ad partes externas fuerat ablegata, denuo recurrens, retropreſſaque ad pectus, uti materia ſcabioſa, arthritica, podagrica, eryſipelacea, varioloſa, morbilloſa; inſpirati atomi arſenicales, calcis vivæ, ſaturni, mercurii, acidorum mineralium; aer frigidus ventoſus.

Cauſſæ pulmonem mole externa comprimentes ſunt, ſerum hydropicum in cavo pectoris vel pericardii fluctuans, polypus cordis, aneurisma aortæ, cordique ipſius; flatus ventriculum & inteſtina expandentes; tumores hepatis, lienis, uteri, glandularum meſenterii & inteſtinalium, ſerum aſciticum, quibus omnibus diaphragma ſurſum contra pulmones urgetur, ejusque motus liber præpeditur; gibboſitas, collum ſtrumoſum.

Vitia nervorum: pulmones in ſua actione turbantur a paralyſi, ſpasmo, convulſione partium reſpirationi dicatarum, ab inordinata liquidi nervoſi motu in paſſione hypochondriaca, & hyſterica, ab animi pathematibus. Omnes hæ cauſſæ producunt vel aſthma *humidum*, cum excretione ſcilicet materiæ humidæ & viſcidæ; vel *ſiccum*, ſine alicujus materiæ rejectione; vel *convulſivum*, quod cum

re-

repentina ſummaque conſtrictione ac præſentaneo ſuffocationis metu periodice, & præprimis noctu invadere ſolet.

Indicationes curativæ petendæ ſunt ex cauſſis antea probe cognitis. Sic e. g. in aſthmate pituitoſo proſunt incidentia omnis generis oxymel, ſquilla, gummata ſtimulantia, ſalia fixa, & volatilia, purgantia reſinoſa, ſolventia, mercurialia, antimonialia, diuretica, veſicantia, radices acres, ſubinde & balnea pulmonica, quibus acetum & ſal ammoniacus additur; narcotica vero cum tuſſim, qua natura ad liberandas a materia viſcida pulmones utitur, hoc in caſu ſalutarem ſupprimunt, & circulum ſanguinis per hoc viſcus difficiliorem faciunt, vires primarum viarum debilitant, prorſus pernicioſa ſunt, ſæpeque in præſens ſuffocationis periculum adducunt ægrum. Fuere, qui optimo cum effectu in gravatis a pituita pulmonibus, vaſis ante, ſi opus fuit per venæ ſectionem depletis, datisque ſufficienter ſolventibus, emeticum propinarunt, quo immanem ſæpe copiam pituitæ tenaciſſimæ partim in primis viis ſtabulantem, partim a reliquis corporis viſceribus ad easdem revulſæ eduxere. Kermes minerale parcius datum, vi incidente, attenuante hoc in morbo prodeſt, copioſius vero datum utiliter vo-

mi-

mitu non raro ciet. Quod ſi præmiſſis incidentibus facta ſufficiens ad inteſtina pituitæ revulſio fuerit, roborantibus opus demum erit, interpoſitis nihilominus per epicraſin lenioribus purgantibus. Tunc etiam in auxilium vocari poſſunt fumi aromatici roborantesque ad firmandos laxos pulmones apti.

In *aſthmate convulſivo* attendendum pariter ad cauſſam eſt, nam in eo genere, quod ex nimia partium irritabilitate, motuum anomalia, affectionum animi intemperie, ira, terrore &c. enaſcitur, princeps & heroicum carminans remedium in opio repetitur. Verum etſi aſthma hoc *per vices* ſolummodo afficiat, cauſſa tamen perſæpe ejus indolis eſt, ut *conſtanter* adſit, atque in vitio ſolidorum inſuperabili conſiſtat. Plerumque enim fluctuantes in cavo pectoris aquæ, aut concrementa polypoſa in corde, vaſisque illi nexis, aut utraque hæc vitia ſimul in cadaveribus aſthmate hoc convulſivo demortuis deprehenduntur. Hydropem pectoris difficilis in alterutrum latus decubitus, pedum oëdema, manuumque intumeſcentia manifeſtant; vitium vero cordis, majorumque vaſorum, declarant palpitationes cordis, pulſus omni modo inæqualis, intermittens. Verum ſive aſthma convulſivum cauſſa horum in thorace vi-

 tio-

tiorum, ſive etiam effectus fuerit, multoties non tantum non curatur, ſed ne quidem urgentia palliari ſymptomata poſſunt. In valido aſthmatis convulſivi paroxysmo exigua venæ ſectio ſæpe ſubito ſpasmos ſopit, eaque non raro neceſſaria eſt, & ab urgentisſimo ſymptomate, periculo ſcilicet ſuffocationis indicatur; etſi ipſi morbo principi contraria ſit.

Opiata rariſſime in hac aſthmatis convulſivi ſpecie conveniunt, & caute omnino tentari debent. Nam univerſim vix non obtinet hic canon, ſcilicet ubi venæ ſectio profuerit, ibi opiata nocere. Ubi autem, ſi polypus, aneurismata, hydrops thoracis aſthma convulſivum foveant, vix ullum opio in paroxysmis levamen admittunt; ita ſi idem aſthma a ſcirrhoſis pulmonibus aut viſcerum abdominalium vitiis oriatur, impreſſiones ejus narcoticorum energiæ rariſſime obediunt.

HÆMOPTOE.

Pergimus ad hæmoptoën, quæ non confundi debet cum illa hæmorrhagia, quando præcedente titillatione, doloreque lancinante & ardore circa uvulam ex faucibus, absque tuſſi, ſanguis non fervidus, non ſpumoſus ore rejicitur, ſolo ſcreatu, vel ſimplici ſpu-

tatione, qualem ſanguinis fluxum Cl. *de Helwich* deſcripſit ſub nomine *Hæmorrhoidum oris.* Neque confundi hæmoptoe debet cum illo ſanguinis ſputo, quod ſcorbutici, aliique etiam ſubinde patiuntur; ſanguine ex gingivis exſudante.

Hæmoptoe eſt rejectio ſanguinis floridi, ſpumantisque cum tuſſi. Sedes mali eſt, vel in *larynge*, vel in *ipſa trachea* vel in *membrana bronchia inveſtiente,* vel in *ipſa pulmonum ſubſtantia.*

Alia eſt cum inflammatoria diſpoſitione, alia absque eadem.

In primis tribus caſibus ſanguis rejicitur paucus, floridus, aut cum muco remixtus. In ultimo caſu multus, floridus, ſpumoſus, & per intervalla.

Dividitur in hæmoptoën quæ per *anaſtomoſin*.

2) in eam *per rhexin*, &

3) in illam quæ per diabroſin fit.

Cauſſæ prædiſponentes ſunt, corpus gracile, collum longum, thorax anguſtus, fibra tenuis & delicata, mobilisque, ingenium ſubtile, color genarum læte roſeus. Sanguis acer & ſemper phlogiſticus. His accedunt ſanguinis orgasmus ob ejus copiam, phlogoſin, diætam lautam, ſpirituoſam, motum nimium

mium, iram, tuſſim, calorem nimium. Item frigus admiſſum, catarrhus diu durans & calefacientibus tractatus, imo omnes omnino cauſæ, quæ pleuritidem vel peripneumoniam producere poſſunt.

Cum prius illam hæmoptoës ſpeciem explicandum aggrediamur, quæ cum *inflammatoria diſpoſitione* conjuncta eſt, notandum erit, *cauſſam proximam* hujus ſpeciei hæmoptoës eſſe *rupturam vaſorum pulmonalium, cum diſpoſitione phlogiſtica totius maſſæ ſanguinis & topica inflammatione ipſius pulmonis.* Exactam mali hujus ideam formabimus, ſi concipiamus *peripneumoniam cum ſputo cruento, croceoque.* Quod ſi ſputum hoc peripneumoniam concomitans ob vaſorum pulmonalium teneritudinem, quæ in hominibus prædiſpoſitis facillime rumpantur, paulo copioſius ſit, atque ea quantitate, ut hæmorrhagiæ nomen mereatur, jam non *peripneumonia cum ſputo cruento*, ſed hæmoptoë appellabitur. *Symptomata* eadem omnino ſunt, quæ in peripneumonia vera; ſcilicet horripilatio & ſuccedens æſtus, laſſitudo, anxietas, dolor gravativus pectoris, reſpiratio difficilis. Sæpe omni die, ſubinde & alterno die exacerbationes patitur. Adeſt ſitis, æſtus, dolor capitis. Subinde redeunte quavis exacerbatione redit ſputum ſanguinis.

Prog-

Prognoſis eſt vel curari penitus, id quod tamen rarius contingit ut nunquam amplius redeat; vel in immedicabilem phthiſin æger delabitur.

Cura ex morbi idea colligitur. Cum ergo adſit quaſi continua diuturnaque pulmonum inflammatio, methodus omni modo antiphlogiſtica debet adhiberi. Hinc proſunt

1) venæ ſectio in brachio, clysmata emollientia, potus emollientes, nitroſi, emulſa blandaque aceſcentia, balnea extremorum *tepida*. Omnia quæ in ſtadio inflammatorio peripneumoniæ aut pleuritidis convenire dicta ſunt. Nocent autem adſtringentia, uti ſunt, ſanguis draconis, ſuccus catechu; ſanguinis enim ſubſtantiam denſant, vaſa contrahunt, morbumque directe augent.

2) Balſamica, e. g. maſtix, therebinthina, balſamus locatelli &c. cum ſua ſtimulante & calefaciente indole morbum exacerbant.

3) Cum ſputum ſanguinis redeat ſæpe per paroxysmos omni die, vel omni alterno die, ſebrisque concomitans ſuas exacerbationes patiatur, æque ac pleuritis & peripneumonia, fuere qui corticem peruvianum præſcripſere, ſed peſſimo cum eventu; vis enim corticis roborans æque in hoc morbo ac in vera pleuritide aut peripneumonia contraindicatur.

Hinc

Hinc tales ægroti magnis paſſibus in phthiſin ruunt. Multi ſuadent poculum aquæ frigidæ, ſed uti hoc medicamentum in alia ſpecie ſputi ſanguinei, una cum adſtringentibus, roborantibus, balſamicis, & cortice peruviano maximo cum emolumento exhibetur, ita in noſtro hoc, de quo agimus, caſu, æque funeſtos effectus ederet, ac in alio quocunque inflammatorio morbo, præprimis vero, ſi is pulmones afficiat.

Cum de vi opii humores rarefaciente, & ſtimulante, inflammanteque convicti ſimus, patet pariter, id, etſi in quibusdam hœmorrhagiis cum utilitate exhibeatur, ut inferius demonſtrabimus, ita in hoc morbo nulla ratione convenire. Clariſſ. *Helvetius* magnis laudibus tanquam arcanum celebrat extractum ſeminis hyoſcyami. Verum cum eadem cum opio virtute pollet, ſanguinis orgasmum adeo non temperat ut & augeat, vim habeat apoplexiferam, ſtatum phlogiſticum nullatenus tollere aptum ſit, non apparet, quomodo, repudiato opio, extractum hoc ſeminis hyoſciami prodeſſe queat.

Alia ſputi ſanguinei ſpecies eſt a vaſis pulmonum varicoſis, ruptisque.

Cauſſæ mali eæ omnes ſunt, quæ vaſa hæc varicoſa reddere, eaque rumpere valent.

Huic

Huic morbo obnoxiæ ſunt lotrices, quæ vaporem aquæ calidæ continuo inſpirando ſanguinem ad pectus invitant, vaſaque pulmonica relaxant. Item ii, qui cantu, ſive is voce, ſive tibiis fiat, pulmones nimium exercent, ſpiritumque ſæpe diu retinent, ac ſanguinis coacervationem in hoc viſcere, inde vaſorum varicoſam dilatationem ſibi conciliant. Multi artificum, qui ſedendo, præcipue corpore antrorſum inclinato, operi ſuo vacant, item qui ſcriptioni lectionique operam ſedendo navant, hoc morbo non raro afficiuntur. Ratio eſt circulus ſanguinis per viſcera abdominalia imminutus, majorque inde ad pulmones ſanguinis recurſus, unde varices vaſorum pulmonalium, iisque disruptis ſputum ſanguinis vel potius hæmorrhagia copioſa admodum. Sunt qui periodico hæmorrhoidum fluxu laborarunt, ſed quibus aut ſponte ſua, aut intempeſtiva medela hæc ſanguinis per vaſa hæmorrhoidalia evacuatio ſubſtitit. Unde ſæpe humorum verſus pectus regurgitatio decubitusve, & vaſa pulmonum varicoſa fiunt.

Diagnoſis morbi habetur

1) ſi corporis diſpoſitio quam hœmoptoici alias habere ſolent, non adſit.

2) Si

2) Si febris inflammatoriæ ſigna, quæ primam hæmoptoën ſpeciem individua comitatur, pariter deſit.

3) Si *repente* multum ſanguinis primo grumoſi, atrique, dein boni coloris, attamen non floridi, non ſpumoſi, & magna quidem plerumque copia rejiciatur.

Cura inſtituitur

1) tollendo cauſſas, quantum fieri poteſt,

2) ipſa durante hæmorrhagia ligaturæ artuum, acetum aqua mixtum & frigide ad pudenda, & pectus applicatum, potus aciduli, nitroſi, poſtea epota, ſumma quies & abſtinentia ab omni loquela. Propemodum vero conveniunt ea, quæ plethoram & orgasmum, ſanguinis temperant, humores aliorſum, e. g. verſus venas hæmorrhoidales invitent, quod fit hirudinibus frequenter adplicatis ad anum. Demum ſuffitu roborante adfirmanda pulmonum vaſcula inſpirato, Interne ea juvant quæ roborant, quin calefaciunt e. g, cortex peruvianus, ſanguis draconis, ſuccus catechu, lichen islandicus. Quod ſi varices pulmonum ſucceſſive rumpantur, & ſingula vice parum tantum ſanguinis fundant tunc accedente debita medela ſpes curationis ſupereſt. Poculum frigidæ ſub ipſa actuali hæmorrhagia epotæ prodeſt, nocent autem emollientia calida,

jus-

juſcula, vapor aquæ tepidæ inſpiratus. Si ſputum ſanguinis ſit ab eroſione per acres humores facta, adhibere ea oportet, quæ primo cognitæ acrimoniæ contraria ſunt, dein vaſa pulmonalia firmant. Sputum ſanguinis menſtruum a ſuppreſſione hæmorrhoidum tollitur, ſi evacuatio hæmorrhoidalis per balnea tepida ad anum admiſſa, per pediluvia, per ſanguiſuga denuo revocitur, nocerent autem medicamenta *aloetica*, quæ alias hæmorrhoidibus excitandis apta habentur, cum hæc æque aliam ſanguinis evacuationem, quam hæmorrhoidalem poſſint excitare.

Cum vero tot exercitati in arte viri opii uſum in hæmoptoë laudarint, quæritur quid veri aut falſi in ipſorum ſententia ſit. Certum eſt, opium ratione ipſius fluoris nunquam convenire, cum & ſanguinem rarefaciat, concitetque, & plerasque hæmoptoës vi ſua non tollat. Datur tamen aliquod in hæmoptoë ſymptoma, quod opii exhibitionem vehementer urget, ſcilicet ſi in loco affecto ſtimulus hæreat, qui in corpore alias valde irritabili vaſa pulmonalia irritet, & ad ſanguinem ulterius ejiciendum exſtimulet. Perpetuo exſtillans ſanguis creabit titillationem in membrana, pulmones inveſtiente, & tuſſim, indivulſum hæmoptoës paulo gravioris comitem excitabit, quæ dum totum pe-

pectus violenter concutit, ſanguinem majori copia ad pectus & locum vulneratum advocabit, unde neceſſario malum redditur gravius. Maxima ergo cum cura providendum, ut nocentiſſima & inanis hæc tuſſis compeſcatur; qua in re magnum certe curationis artificium verſatur. Si igitur tuſſis mucilagine gummi arabici, diacodio, oleo amygdalino falli nequeat, accedendum eſt ad ipſa opiata, etſi therapeuticis, vereque curativis indicationibus contraria; aliis interea proprie indicatis nullatenus omiſſis. Opium enim etſi contraindicatum ab ipſo morbo primario, minus tamen nocebit, quam tuſſis hæc clamoſa, gravisque. Hac occaſione varias hæmorrhagias, earumque cauſſam & medelam afferemus.

Hæmorrhagia igitur eſt omnis fluxus ſanguinis paulo copioſus præternaturalis aut etiam naturalis, ſi is modos excedat. Omnis hæmorrhagia a cauſis internis oriunda præſupponit

1) vaſorum loci affecti laxitatem, ſive nativam, ſive mala diæta aut morbis prægreſſis ortam, præſuppoſitam homine vaſorum laxitate accedere

2) debet cauſſa, quæ vel *rumpat* vaſa hæc debilia, vel *dilatet* ſolummodo, nulla facta continui ſolutione, vel *erodat*. Veteres non

ma-

male ſtatuerunt, omnem hæmorrhagiam fieri vel per *rhexin* & *diapedeſin*, ſive vaſorum rupturam, vel per anaſtomoſin, ſeu dilatationem, vel per diabroſin, ſive per eroſionem. Hæc autem altera cauſſa rumpens, dilatans, erodens eſt ſanguis ipſe nimius, rarefactus, diſſolutus, acris, determinatus præcipue in hanc potius partem, quam in aliam; huc autem determinatur vel a ſtimulo heterogeneo, quo vis reſidente in ipſa parte affecta affluxum alliciente, vel ab impetu humorum majori in illam partem ruente. Impetus hic major ſit, vel per motum univerſalem humorum auctum, vel 2do per ſpasmum, vel tertio per obſtructionem aliarum partium. Spasmus eſt, quem in partibus externis dominantem fere ſemper hæmorrhagiis anſam dare, Cl. *Hoffmannus* putat; vaſa aliarum partium coarctat, hinc ſanguis manente ejus mole, ſpatio autem ejus imminuto, copioſius in partem debiliorem minusque reſiſtentem ruit, ejusque vaſa vi ſua disrumpit. Sic & obſtructio aliarum partium manente nihilominus eadem ſanguinis quantitate facit, ut major humorum copia majori cum impetu partem affectam petat, ibique utpote in loco minus reſiſtente, ſibi per vaſa eroſa, vel rupta vel dilatata, exitum querat.

At-

Atque huc redit omnis omnino hæmorrhagia, ex quacunque origine nata, ſcilicet ex plethora, diæta lauta, calida, acri, motu corporis nimio, febre; acrimonia varia, ſcorbutica, morbilloſa, varioloſa, peſtilentiali, atrabilaria, eryſipelacea, epidemica ſpecifica, in hominibus, debilibus, ſenſibilibus, ad motus ſpaſticos proclivibus, viſcera obſtructa habentibus; hepaticis, lienoſis, tuberculis pulmonum affectis.

Hæmorrhagia quæ critica non eſt, neque apta, ut graviores morbos avertere queat, ſequentes indicationes præbet ſcilicet:

1) Plenitudinem minuere.

2) Impetum moderari & revellere.

3) Acrimoniam corrigere.

4) Irritamentum hærens in parte affecta tollere aut lenire.

5) Spasmos ſopire

6) aut obſtructa reſerare.

Poſſemus etiam aliqua adjungere de humoribus incraſſandis & vaſis per adſtringentia coarctandis, ne tam facile humores elabi ſinant. Verum utut adſtringentia egregii uſus ſint, ſi loco vulnerato immediate poſſint adplicari, ita inutilia, quin & noxia ſunt interne data. Eleganter Illuſtr. *van Swieten* Comment. ad aphor. (§. 219.) *Boerhaavii* ait: Si hæc re-

remedia, dum ſanguini immiſta per vaſa fluunt, has vires haberent, an non prius conſtringendo pulmonis vaſa minima, vel coagulando ſanguinem; mortem inducerent, impedito ſanguinis per pulmones tranſitu, antequam ad locum affectum pervenire poſſent. Etſi autem vulgaris & quotidiana praxis reclamant, nihilominus tamen certum eſt, adſtringentia vaſis lacteis reſorbentibus prohiberi, atque a maſſa humorum excludi. Quodſi autem multo diluta vehiculo furtim ſubintrent, nonne metus eſt, ne vaſis proximioribus contractis ſanguinem majori cum impetu propellant, inque partem vulneratam utpote minus reſiſtentem urgeant? Id quidem a marte roborante manifeſto fieri obſervatur, cum eo ſumpto, vividiores arteriarum pulſus, humorumque auctior circulus ſit. Verum tamen ſi hæmorrhagia ſublata ſit, roborantia adſtringentiaque convenire poſſunt, licet actualem hæmorrhagiam nequaquam ſiſtant, ſed potius intendant.

De opiatis pariter hæc notanda: opium ſcilicet utpote ſtimulans, motum humorum augens, vim apoplexiferam poſſidens, diaphoreticum ſummum, nunquam debere exhiberi in hæmorrhagiis, niſi quando, vel ſpasmus hæmorrhagiæ cauſſa, vel quando irrita-

tamentum in ipſo loco affecto hærens, affluxum ſanguinis majorem illuc ciet. In utroque autem caſu opiata proderunt, cum ibi ſpasmos ſopiant, a quibus hæmorrhagia producitur, hic vero irritamentum in parte affecta hærens delineant. Hinc opium toties in hæmorrhagiis prodeſt, ubi dolorifica ſenſatio, aut ſaltem tenſio membranoſarum partium concurrit, aut quando in parte illa, ubi ſanguis elabitur, aliquid adeſt, quod vaſa vellicet, & eorum coarctationem prohibeat.

HÆMORRHAGIA NARIUM.

In ſpeciali hæmorrhagiarum tractatione initium faciemus ab *hæmorrhagia narium*. In hac ſerio perpendendum an illa vere cohibenda ſit, an minus, ne gravia damna hæmorrhagiam hanc intempeſtive conſopitam inſequantur. Bene quippe criticam a ſymptomatica & morboſa diſtinxiſſe juvat, multumque intereſt. ſerio cogitare, morbos capitis gra viſſimos, febresque & deliria febrilia, hæmor rhagiam narium & ſæpe ſolvi, & præcaveri ſæ pe, quæ omnia toties Hippocrates in aphor. & prænot. coacis inculcavit. At vero ſi ſemel

mel conſtiterit eaſdem cohiberi debere, ſequentia erunt adhibenda:

1.) Venæ ſectio cita revulſoria, niſi jam tantum ſanguinis jactura fieret,

2.) Pediluvia *tepida*, tepida inquam, nam calida majorem humorum orgasmum ſolo ſuo calore inducunt.

3) Epithemata ex aceto, oxycrato ad frontem, tempora, naſum.

4.) Artuum ligaturæ,

5.) ſitus corporis erectus & quies. Potus acidi, nitroſi, emulſa nitroſa. Oxycratum ore aſſumptum.

6.) Clysmata emollientia, & majorem humorum affluxum verſus abdomen efficientia.

7.) Purgationes antiphlogiſticæ.

8.) Neceſſitate urgente unica ſalus poſita eſt in externis adſtringentibus, topicis, aluminoſis, vitriolaceis, ſaturninis, turundæ beneficio applicatis. Melius horum ſolutiones aquoſæ applicantur, quam pulveres naribus inſufflantur; nam pulvis facile ad fauces usque delabitur, ſcreatum, tuſſimque excitat, concuſſionesque impetuoſas, quieti adeo neceſſariæ ad curationem contrarias. Prodeſt quoque ſpiritus vini naribus attractus. Sed ſi periculum in mora ſit, præſtantiſſimum & præſentiſſimum ſæpe remedium eſt turunda

fle-

flexilis, ex cereo, ejus longitudinis, ut attingas os cribroſum, eumque præciſe locum, ubi arteriola ſe retrotrahere neſcia, ſæpe ad mortem usque ſanguinem eructaret. Quod ſi perita manus huic loco turundæ apicem ſtyptico liquore tinctum applicare noverit, ſæpe momento fluxus ſanguinis ſiſtitur. Sublata hæmorrhagia inquirendum in cauſſam eſt, uti ſi cui objecinoris tumores ſcirrhoſos, aut ſcirrhoſum lienem ſanguis ſæpius ex naribus flueret, imminente ceneangico & vapido humorum ſtatu hydropicove, auxilium in iis medicamentis quærendum, quæ viſcera reſerant, reſerataque roborant.

Sequitur *vomitus cruentus*. In hoc morbo non per vaſa brevia venoſa ad ramum ſplenicum ſua liquida ablegantia, ſanguinem in ventriculum effundi, ſcilicet contra leges circulationis, ut a quibusdam creditum fuit, ſed per extremos arteriolarum apices conſtat.

Cauſſæ hujus hæmorrhagiæ ſunt vel

1) Cruor nimius ob alias ſolemnes evacuationes ſanguineas impeditas coacervatus & huc determinatus;

2) vel ſpasmi in partibus membranaceis imminentis motu, major humorum copia in vaſa ventriculi urgetur.

3)

3) Vel obſtructiones viſcerum vicinorum, hepatis maxime & lienis, quæ dum motui ſanguinis per eorum viſcerum arterias obicem ponunt, neceſſario efficiunt, ut is majori cum impetu ac copia in vaſa ventriculi ruat.

Alia itidem ſpecies vomitus cruenti datur, eſtque ſequens: ſi ſcilicet *vaſa venoſa* ventriculi varicoſa fiunt, ea prorſus ratione, uti in hæmorrhoidariis vaſa hæmorrhoidalia tumere ſolent, aut in cruribus gravidarum varices comparent; quod ſi forte vel ipſa ſanguinis in tali varice contenti, grumoſique acrimonia, vel medicamentum draſticum, vel alimenta acria tunicas venæ varicoſæ disrumpant, ſequetur vomitus materiæ ſangineæ, ſpiſſæ, atræque, qui ore & ano ſæpiſſimæ copioſe rejicitur. Hæc ultima ſpecies non adeo rara; optima a *Tiſſoto* in epiſtola ad Cl. *Zimmermannum* data deſcriptio, eſtque idem omnino morbus cum *morbo Hippocratis nigro*.

Curatio in paroxysmo requirit

1) ut minuatur nixus cruoris in vaſa ventriculi ruentis, avertaturque.

2) Ut cauſſæ rodentes, & affluxum in ventriculo allicientes obtundantur, enervantur, educantur.

3) Ut effuſi cruoris copia a putredine præſervetur & brevi eliminetur.

Liquet ergo, in paroxysmo,

1) Venæ ſectionem palmarium eſſe remedium, habita tamen cautela ſuperius adducta.

2) Clysmata blanda ad motum periſtalticum qui univerſus eſt, revocandum, ſimul faciendam revulſionem.

3) Potus nitroſus, demulcens, aqua ſæpe ſimplex cum ſucco citri, granatorum, ribeſiorum, aliisque acidis blandis, quæ ventriculo ſimul grata ſunt, & vomitum nauſeamque impediunt, ac orgasmum horum optime temperant. Tandem fracto ſemel impetu, rheum cum cremore tartari exiguis doſibus exhibitum, reliquias grumoſas blande eliminat, oſcula vaſorum dilatata blande adducit ac corroborat. Quod ſi vomitus ſanguineus a medicamento draſtico inepte dato oriatur, prodeſt copioſus potus ex lacte, oleo, quod irritantem medicamenti vim involvat, deinde vero opium ad tumultus excitatos ſopiendos, ſenſumque irritamenti in ventriculo hærentis, & affluxum ſanguinis cientis obtundendum.

MI-

MICTUS CRUENTUS.

Tranſimus ad *mictum cruentum*, eumque præcipue, qui renum vitio contingit. In his modo ex tubulis bellinianis impetu affluentis cruoris dilatatis, modo ex ipſis vaſis rubris ruptis, vulneratisque, ſanguinem effundi certum eſt.

Cauſſæ vaſa dilatantes, vel eorum continuitatem ſolventes, reducuntur ad ſequentes.

1) Ad plethoram & evacuationes ſanguinis conſuetas ſuppreſſas, cum individuali renum laxitate.

2) Ad circulationem, auctam per febrim, & corporis exercitia valida, ſanguinem uberius ad renes determinantia, uti ſunt curſus, equitatio, vecti in curru per ſtrata viarum.

3) Ad calculum aſperum in renibus latitantem, & vehementiori corporis exercitio commotum.

4) Ad acria ingeſta, eaque præcipue, quæ ſpecificam vim diureticam habent, uti ſunt cantharides vel externe adplicatæ, vel vero ore varia ratione aſſumptæ.

5) Ad acrimoniam peculiarem ſanguini inhærentem, ſcilicet morbilloſam, varioloſam, petechialem; notum enim eſt, terribile il-

illud in malignis variolis, febribusque petechialibus ſymptoma, mictus ſcilicet cruentus.

6) Ad abſceſſus renum, ulceraque renalem ſubſtantiam exedentia.

7) Ad vim externam regioni lumborum ictu lapſuque illatam, factamque renum contuſionem.

Conſideratis his cauſſis, formatisque exquiſitiſſimis indicationibus, ſequentia remedia erunt adhibenda: ſcilicet ſumma corporis quies; venæ ſectio repetita, revellentia per alvum, purgantia ex claſſe roborantium, vel lenientia per alvum, maxime vero rheum & manna, quam in ſe ipſe expertus adeo laudat Sydenhamus; accedunt nitrum, emulſiones, mucilaginoſa, oleoſa, aquæ ſelteranaæ. His vero præmiſſis, ad renes laxos corroborantes, ſaucios ulceroſosque conſolidandos inſerviunt remedia ſubadſtringentia, conſolida, equiſetum ab autoribus adeo laudatum, cortex peruvianus, rheum toſtum, acidulæ ſpadanæ, ſchwalbacenſes. Licet opiata per ſe non conveniant, nihilominus ſymptoma quoddam ſubinde occurrit, quod ejus exhibitionem flagitat. Accidit quippe interdum, ut depluens confertim ex rene ſanguis, inque ureterum delatus coaguletur, in eoque gru-

mo-

moſus factus hæreat, ibi præcipue loci, ubi ureteres veſicam intra ejusdem tunicas pergentes ingrediuntur; generantur tunc ſymptomata nephritidem calculoſam referentia, inde ſpasmi, conſtrictionesque doloroſæ ex irritamento grumoſi ſanguinis natæ, inde & peſſima iſchuria enaſcitur, capitali cum periculo, niſi una cum emollientibus, oleoſis intus foriſque adhibitis, remedium ſumme antiſpasmodicum, opium ſcilicet in auxilium vocetur. Alius præterea caſus eſt, qui ſubinde laudanum ſibi depoſcit, ſcilicet ſi princeps locus affectus veſica fuerit urinaria, ejusque ſphincter, atque ſanguis paucus ſummo cum conatu, dolore & ardore ad pubem, tenſione & preſſione in regione perinæi, interque ſummos mejendi conatus exprimatur. Id quod ab hæmorrhoidum anomaliis ſubinde accidit, ubi videlicet ſuppreſſo hæmorrhoidum ordinario fluxu, ſanguis vaſa hæmorrhoidum lateralia & ad veſicam urinariam pergentia petat, illa diſtendat, diſtenſaque rumpat, quod malum *ſub nomine hæmorrhoidum veſicæ* ab aliquibus deſcriptum eſt. Idem præterea contingit, ubi eroſa & ulcerata veſica urinaria a calculo ibi hærente, rodenteque fuerit. His in caſibus narcotica ad obtundendam ſtimuli ſenſum egregie valent,

ce-

ceteris interim directe indicatis nequaquam omiſſis.

Deferimur ad *fluxum hæmorrhoidum nimium*. Docet pathologia, exceſſum fluxus hæmorrhoidalis oriri:

1) Ab accellerato ſanguinis circulo & aucto orgasmo; in hominibus plethoricis, huic fluxui adſuetis per exercitia corporis valida, per potus ſpirituoſos, per animi pathemata, per medicamenta acria, calidaque.

2) Ab impedito regreſſu ſanguinis per venas hæmorrhoidales & meſeraicas, ſæpe varicoſas, ac venam portarum; propter debilitatem vaſorum & viſcerum, unde nimius ſanguinis arterioſi decubitus, affluxus & nixus in inteſtinum duodenum fit.

3) Ab infarctu & obſtructione pertinaciore viſcerum, præcipue hepatis. Ad medicamenta acria pertinent præcipuo quodam jure aloë, myrrha, crocus, itemque omnia ſic dicta emenagoga, & ariſtolochica, quæ ut puellis menſtrua, ſic viris hæmorrhoidum fluxum promovent. In hæmorrhoidibus nimiis ſanandis, quoties a ſola plethora, inductaque majori ſanguinis circulo hoc profluvium oritur, profunt quies corporis, diæta tenuis, venæ ſectio, manna, tamarindi, quos Mercurialis præcipue laudat, cremor tartari, rheum,

ni-

nitrum, emulſiones. Hæc leniora & antiphlogiſtica eo in caſu præprimis conveniunt, ubi venæ hæmorrhoidales ob impeditum per eos refluxum ſanguinis, varicoſæ factæ ſunt a ſcybalis duris, diu in inteſtino recto morantibus. Quod ſi viſcerum laxitas nimium hæmorrhoidum fluxum efficiat, parvæ & frequenter repetitæ rhei doſes inſignem utilitatem afferunt; alio tempore proſunt martialia in copioſo vehiculo, aquoſo, vel ſero lactis exhibita. Ubi viſcera obſtructa in cauſſa ſunt, egregie conveniunt ſuccus taraxaci recentis, decoctum radicum aperientium cum oxymelle, & ſale quodam; pilulæ ex ſapone & rheo, vinum rhenanum aperientibus ſpeciebus ac marti infuſum, ipſe ſubinde cortex peruvianus, aquæ tandem minerales, pyrmontanæ, ſpadanæ. Quod ſi vires nimia jam ſanguinis jactura facta conciderint, juvat vini ſpiritum, vel acetum ope ſpongii ano admovere: prodeſt itidem vinum rubrum gallicum aut budenſe cum malicorio coctum, item decoctum radicis biſtortæ, tormentillæ, elota prius alvo, in ipſum inteſtinum rectum injicere. At vero, ubi ſtimulus adeſt in ipſo inteſtino recto, qui ſanguinis affluxum per recti arterias promoveat, e. g. tubercula intus latentia, ſpasmi, alvus torminoſa, teneſmoidea, narcoticis vix carere medi-

cus

cus poteſt, quæ ſenſum ſtimuli obtundant, hoc in caſu una cum medicamento narcotico alia inſuper addi debent; quæ ipſam mali cauſſam aggrediantur. Verum & ſine alvino fluxu ſanguinis dolores in abdomine colici, tenſiones, cardialgiæ multos infeſtant. Quod ſi in veram inquirere cauſſam velit medicus, deprehendet, omnes has ſtricturas ſpaſticas a varicoſis turgentibus vaſis ſanguiferis inteſtina & ventriculum perreptantibus provenire. Huic malo robuſtiſſimi ſæpe obnoxii ſunt, & de ventriculi debilitate conqueruntur. Male ipſis conſulitur per medicamenta ſic dicta ſtomachica, tincturas, martialia, aromatica, nam hæc omnia, uti & vinum, ſpirituoſa omnia, coffe, morbum inſigniter augent. Venæ ſectio, nitroſa, diæta vegetabilis, hirudines ad anum, etſi nulla ibidem tubercula videntur, optime conveniunt.

HÆMORRHAGIA UTERI.

Luſtranda adhuc eſt *hæmorrhagia uteri*, ſed ſine reſpectu habito ad abortum, ad molam, ad lochia nimia. Nam de his ſuo loco ſeorſim agimus. Loquimur hic ſaltem de illo ſanguinis nimio fluxu, qui citra has conditiones evenire ſolet ſubinde, vel juſto menſtruorum tempore, vel extra hoc citius quam oportet, & copioſius prodiens, aut qui per-

con-

durat diutius abortu jam facto, & polypoſis concretionibus in utero natis, diu jam excluſis, licet hoc ipſum non ita crebro eveniat.

Cauſſæ hujus fluxus uterini nimii funduntur,

1) in plethora commota & orgasmo menſtruo, qui eminentior redditur variis diætæ vitiis.

2) in generis nervoſi ſenſibilitate & mobilitate nimia.

3) In vaſorum uteri laxa debilitate.

Præter ea, quæ ex ſuperius allatis facile huc transferri poſſunt.

Conveniunt in primo caſu, epithemata ſubfrigida ex aqua, aceto, & nitro facta; cogit ſubinde ſumma neceſſitas ipſi vaginæ, uterove ſubadſtringentem injectionem facere. Alias autem, injuncta quiete ſumma corporis animique, ſi fluor ab exceſſu circuli & ſumma humorum rarefactione oritur, poſt venæ ſectiones, potiones nitroſæ cum cremore tartari, externe ſimul adplicato aceto, multum boni præſtant; aliquando potus aquæ frigidiuſculæ ſpiritu vitrioli acidulatus cum ſyrupo papaveris rhœados, aut infuſum roſarum rubrarum ſaturatum, cui pauxillum ſpiritus vitrioli inſtillatur, vota ægrotarum explet. Verum ſi altera cauſſa obtineat, ſyſtematis ſcilicet

cet nervoſi ſumma irritabilitas, quæ fœminis ſubinde hyſtericos in abdomine dolores & ſpasmos inducit, his niſus ſanguinis ad uterum intenditur, & hæmorrhagia uterina producitur. In his circumſtantiis, ſi nihil juvarint emulſiones, oleoſa, nitroſa, liquor anodynus mineralis *Hoffmanni* & clysmata demulcentia, ad potentiſſimum antiſpasmodicum & antihyſtericum, opium videlicet, erit confugiendum, aliis tamen agendis ſimul diligenter actis.

Præterea, ſi in utero ipſo hæſerit aliquod irritans & ſtimulans, influxum, affluxumque ſanguinis majorem ciens, ſique aliquis in utero tenesmus excretionem intendat, narcoticum exhibitum ſtimuli ſenſum obtundet, eumque obtundendo hæmorrhagiam inde auctam ſiſtet. Si pharmaca modo laudata nil profecerint, ſi ligaturæ artuum eorumque in aquam tepidam immiſſio fruſtranea fuerit, aut vires fatiſcant, jamque leipothymiæ ingruant, & convulſionum ab inanitione oriundarum, que *Hippocrati* adeo male audiunt, proxime inſtantium metus ſit, nulla certe ſpes ſupereſt niſi in blandis nutrientibus indeſinenter hauſtis & in remediis illis, quæ vaſcula vaſorum uterinorum debilium & laxorum, ſanguinique eapropter

re-

reniti neſcientium quantocius claudant; talia ſunt topica adſtringentia, uti in hæmorrhagia narium diximus. Hinc aliquoties juxta obſervationem Cl. *Harris* ſpiritus vini calide cum pannis laneis in pertinaci menſtruorum fluxu admotus juvit. In novis actis phyſico medicis N. C. T. I. p. 325. & ſequentibus, habetur hiſtoria fœminæ abortum paſſæ, quæ viribus vix paulisper receptis, paſſa erat ingens ſanguinis ſinceri profluvium ex utero, in quo tamen nil polypoſi, nihilque heterogenei hærebat. Cum leipothimiæ adeſſent, jamque convelli inciperet, præclarus ejus medicus (*Tralles*) non diu differendam opem videns, linteum contortum & in peſſum aliquem efformatum, ſolutione vitrioli martis madidum, genitalibus, quantum fieri poterat, immitti jubebat, hujus benefico ſiſtebatur, fluxus, isque bis terve ſiſti ſe patiebatur, quoties exempto citius quam oportebat, peſſo denuo recrudeſceret. Poſtmodum vero corroboratis uſu diuturno corticis peruviani viribus penitus convaluit, neque fœcunditati obfuit adſtringens hoc ipſique interiori ſuperficiei vaginæ, & fors etiam ipſius uteri admotum remedium adſtringens, nam poſtea duorum filiorum mater evaſit. Remedia hæc topica adſtringentia in hæmorrhagiis uterinis

urgentibus, & mortem minantibus, omnibus aliis merito præferenda ſunt, & extrema habentur, modo in utero nil vitii ſit, quam oſculorum cruorem fundentium laxitas, id quod medicus exacte noſſe debet. Secus ex perdurante rei heterogeneæ reſtitantis irritatione, ſtimuloque hoc non ablato, aut non ſiſtitur hæmorrhagia, aut brevi denuo fortior redit, aut hæterogeneo illo ibi reſtitante & putreſcente, labes ipſi utero inducitur. Ex his, quæ hucusque dicta ſunt, etiam pro tertio caſu, ubi laxa vaſorum uteri debilitas hæmorrhagiam producit, medela facile repeti poteſt.

Sed opus eſt, ut ſpeciatim aliquid dicamus de *chronica uteri hæmorrhagia*, quæ a ſola debilitate, per alios uteri prægreſſos morbos inducta, ſuſtentatur, quin tamen alia hujus viſceris labes adſit. In hoc caſu conveniunt corroborantia & glutinantia, ſuadente eadem *Boerhaavio* in conſult. Vol. I. Caſ. 28, Repetita experientia comprobatum eſt remedium *Ludovici Septalii*, ſcilicet decoctum corticis aurantiorum ſubviridium, qui id, notante *Riverio*, extinctione calybis fortius reddere ſolebat. Laudat idem & *Hoffmannus* & *Aſtruc* & Cl. *Helwich* qui id privatim tanquam arcanum Cl. *Tralleſio* commendabat. Corti-

cum

cum aurantiorum interior, alba & fungoſa ſubſtantia; ob vim adſtringentem valde commendatur in nimio hoc & chronico menſium fluxu, quare flavedine magnam partem abraſa, interior hic cortex egregie convenit. Laudat *Foreſtus* vinum rubrum gallicum cum aqua miſtum; laudes etiam ſuas obtinet ſuccus catechu, quem *Boerhaavio* in ſimilibus caſibus adamatum novimus. *Mead* fortiora, uti vitriolum, alumen, pulveremque ex alumine rupeo, & ſanguinem draconis proponit.

His omnibus, ſi revulſioni perpetuæ, quæ in inveterato malo ſemper quam maxime indicatur, ſtudendum eſt, præferri adhuc meretur, rhabarbarum diu & parvis doſibus uſurpatum, & *Platnero* ſolenne, quod etiam toſtum exhibetur, ubi revulſione ad alvum opus non eſt, aut ubi hæc aliis ſimul junctis medicamentis perficitur. Corticem peruvianum in uteri vitiis perutilem jam noverat *Sydenhamus*, [& hæmorrhagiæ uterinæ eum præcipue deſtinatum voluit *Mead*. Spadanas a plurimis cum fructu exſpectato adhibitas legimus; quod ſi collapſæ jam ſint corporis vires, & ægra ad tabem prona, emaciataque fuerit, ſique inſuper tenuis & irritans acrimonia humores inficere videatur, aquæ hæ ferratæ la-

cte

ćte remixtæ inſigniter proſunt. Quodſi earum copia non ſit, aut res anguſta domi earum uſum prohibeat, lac chalybeatum, vel cum radice conſolid. flor. roſarum & balauſtriorum coćtum, item vinum rhenanum marti infuſum, in uſum utiliſſime vocatur.

Explicanda adhuc eſt illa hæmorrhagia uterina, quæ termino menſtruorum adventante, circa 50 ſcilicet ætatis annum, ſæpe per paroxysmos impetuoſe redit, graviterque per intervalla, antequam menſes penitus deficiunt, affligit. *Sydenhamus* imperat diætam refrigerantem & incraſſantem, adhibet venæ ſećtiones, nitroſa, purgationes antiphlogiſticas, rheum, emulſionesque. Si vero adſint dolorificæ ſimul tenſiones hyſtericæ, quæ profluvium augeant, narcoticum, aliis agendis non neglećtis, proderit, ſecus autem, uti ſupra demonſtratum jam eſt, nocebit.

Superſunt hæmorrhagiæ uterinæ, quæ poſtquam diu jam atque per multos annos in ætate provećta penitus ceſſarunt, præter exſpećtationem eveniunt, comitantibus quandoque moleſtiſſimis ſpasmis & doloribus exquiſitis. Symptomata harum ex deſcriptione *Swietenii* habentur, dum ait T. I. ad aph. 499. Accidit aliquando in effoetis mulieribus, poſt quam omnia ſigna prægreſſi ſcirrhi uteri prægreſſa

fue-

fuerint, ut dolor fixus, continuus pubem, hypogaſtrium, lumbos occupet & ſanioſus ichor ex pudendis exeat, ſolet tunc ſæpe immanis hæmorrhagia ſequi, unde admodum debiles factæ pro tempore levamen ſentiunt, donec reſtauratis viribus redeant omnia eadem mala; videtur tunc circa uterum acris materia hærere, quæ dilatata vaſa erodit. Cum in hoc morbo nulla radicalis medela ſperanda ſit, optime conducit diæta lactea. Interdum vero ad obtundendum acerrimæ materiæ ſtimulum opio opus eſt, quod purum ſincerumque merito præfertur omnibus compoſitionibus aromaticis, acribusque, quas opium ingreditur, uti theriaca, philonium. Attamen probe tenendum, infidas & breves tantum eſſe mali ſævientis inducias. Probabile admodum eſt, in utero hujusmodi fœminarum ulcera cancroſa & phagadenica, latentia malorum horum cauſſam eſſe.

T A B E S.

Aggredimur morbi frequentiſſimi, funeſtiſſimique explicationem, quæ eo eſt difficilior, quo morbus ſibi ipſe in alio atque alio diſſimilis eſſe ſolet, differentiſſimas cauſſas habet, & curationem raro, & ſi aliquam, eam ta-

tamen æque diverſam in diverſis admittit, *tabem* ajo, hecticam, phthiſin, atrophiam. Vocabula hæc a multis confunduntur; a quibusdam vero diſcriminantur.

Tabes dicetur, ſi adſit febris *lenta*, & tabeſcentia totius corporis, ita, ut & pinguedo omnis, & caro muſculorum videatur abſumi. Sæpe vix muſculorum veſtigia adſunt, etſi robur eorundem non, aut vix minuatur. Fors in tabe ſola pinguedo perit, inter muſcularium fibrarum faſciculos locata, ita, ut perexiguum quid ipſam muſculi ſubſtantiam conſtituat.

Differt ſecundum hos tabes ab *atrophia*, quia hæc febre caret[3]; item a *phthiſi*, quia phthiſis febrim *majorem* habet, & alicubi manifeſtam mineram purulentam.

Nos tabem & phthiſin pro eodem ſummemus, cum ita hæc duo a plerisque promiscue ſumantur.

Diviſio eſt in primariam & ſecundariam.

1) Primaria eſt, quæ *ſuapte* oritur; eſt rariſſima.

2) Secundaria oritur ex alio morbo: eſt frequentiſſima.

Alia melior diviſio eſt *a cauſis*. Hinc primo tabes, ſeu phthiſis *purulenta* a fomite purulento. Duplici ratione phthiſis purulen-

ta oritur; vel enim fit a concluſo alicubi pure, quod continuo tranſit in ſanguinem, & febrim tabificam excitat; hoc contingit e. g. in vomica purulenta pulmonum, eaque clauſa. Subinde tamen contingit, ut pauca puris quantitas reſorbeatur, & eliminetur per alvum, urinas, ſudores, hæc enim puris ſunt colatoria; utque ſacci purulenti, parietes collapſi concreſcant. Subinde ſaccus circumcirca quaſi calloſus fit, ut reſorptio fieri nequeat, aut, ut tantum liquidiora reſorbeantur; tunc vomica diu inoxie aut inadvertenter latere poteſt. Multa exempla proſtant, ubi vomicæ ſat magnæ repente ruptæ ſunt, quin antea æger, aut medicus de earum præſentia quidquam cogitaret. Verum non ſolum pus concluſum, erodens, depaſcens, cuniculos agens, reſorptum phthiſin inducit, ſed pus etiam non concluſum, & liberrime profluens, homines non raro phthiſicos reddit, idque duplici ex ratione:

1mo. enim, nimia ſubinde puris quantitas generatur, ita, ut homo nimiam ſuccorum in pus converſorum jacturam patiatur.

2do. Ingens plaga fundens aſſiduo materiem purulentam, eandem identidem denuo reſorbet, inque ſanguinem defert. Fit hoc in ingenti aliquo abſceſſu, vulnere, poſt e. g.

extirpatam mammam, poſt artus alicujus exſtirpationem, adplicatis digeſtivis.

Pejor eſt phthiſis a pure concluſo nata & erodente, eaque fere ſemper incurabilis eſt. Hinc phthiſis ab ulcere aperto pulmonum curabilior, quam a vomica clauſa. Hinc & phthiſis renalis per annos ſæpe fertur, ubi pus in urina comparet.

Phthiſis purulenta pulmonum præ ceteris frequens eſt, oriturque a pleuritide, peripneumonia ſuppurata, a catarrho inflammatorio neglecto. Ab hæmoptoë. A tuberculo pulmonum ſuppurante. A metaſtaſi puris aliunde facta. Ab onania. Scrophulis ſuppuratis. Quo liberior puris effluxus, eo curatio minus difficilis. Hæmoptoë, opio, frigidis, adſtringentibus tractata.

Tabes nutricum. A nimia lactatione. Non ſimus nimis indulgentes; quæ enim geſtare uterum poteſt, poteſt & lactare. Si quæ lactare non poſſint continuo, ſcilicet *ad dentium eruptionem ſuperiorum & inferiorum*, ſaltem tempore puerperii, & paulo diutius proles lactentur. Plus nocet lactis *retentio*, cum *febrim* faciat. Mammas ſæpe male afficiat. Depoſitiones funeſtas ſæpe habeat. Uterum reddat laxiorem.

Sym-

Symptomata hujus phthiſeos ſunt frequentes: inſultus hyſterici, tuſſicula, calores; dein & ſputa puriformia & emaciatio.

Huc reduci multæ aliæ phthiſes poſſunt ortæ a nimia humoris alicujus cujuscunque evacuatione, ortaque inde bonorum ſuccorum penuria. Sic macies, atrophia, tabes a nimia ſpirituum deperditione, ſtudiis improbe cultis, nocturnis.

Tabes a nimia evacuatione ſalivæ ſputatione nimia rejectæ in iis, qui fumum nicotianæ per fiſtulam attrahunt.

Tabes a nimia ſputorum rejectione. Sola ſputorum quantitas emaciare poteſt.

Tabes a frequenti vomitu, in iis, e. g. qui ſcirrho ventriculi, aut pyloro cartilaginoſo & anguſtiſſimo laborant. Hos enim vomitus chronicus ad extremam maciem deducit, & ad mortem.

Tabes a diarrhæa chronica, a lienteria diu perſiſtente.

Tabes ab hæmorrhagiis frequentibus.

Tandem ea tabes ſeu phthiſeos ſpecies, quam tabem dorſalem, jam ipſi *Hippocrati* probe notam, deſcriptamque appellant.

Atque hæc tertio loco venit explicanda. Provenit æque ex nimia humoris nobiliſſimi ſpirituoſiſſimique jactura. Morbus hic afficit

ſubinde recens uxoratos, ſcortatores, maxime vero illos, qui ſemen nefando crimine ſibi manu proliciunt. Crimen hoc, onania videlicet, multis ex rationibus plus infert detrimenti, quam quodcunque aliud genus ſcortationis. Onaniſta enim ubique locorum, & quovis tempore patrandi ſceleris occaſionem habet, cum e contrario ſcortator illa ſæpenumero carere cogatur. Imaginationis & univerſim nervorum intenſio major, viresque magis atterens. Multorum malorum ferax mater eſt onania, etenim lumbaginem queruntur & ſenſum formicationis per dorſum, alvum ſiccam difficilemque; macies, ſed cum voracitate. Integer exercitus affectionum nervoſarum. Cephalalgia, vertigo aſſidua, ſenſuum confuſiones, & leipothymiæ. Morbi omnes convulſivi, tetani, catalepſis, epilepſia, mania. Viſus valde læſus, memoria vacillans. Morbus hypochondriacus, aſthma ſpasmodicum, tuſſis, & vera phthiſis pulmonum purulenta. Maxime vero a nimia ſeminis jactura vis ventriculi læditur; hinc hos bradipepſia, apepſia, flatus, acidum multum infeſtat. Nil ita ingenium moresque mutat ac ſemen genitale, inde & corporis robur, & animi vis, & ferocia, inde ad magna molienda promptitudo. Semen tauro vires ad-

di-

didit, atque ferociam, ex cujus defectu bos caſtratus animal imbelle eſt. In morbis nervorum, quorum origo obſtruſior eſt, quive mares, eosque juvenes afficiant, cogitandum erit inter alias cauſſas etiam de hac, nimia videlicet ſeminis deperditione. Triſtis obſervatio medicos docuit, præſtantiſſimos juvenes, eosque ab natura optime inſtructos ſi eadem una cum pluribus domo habitent, turpi hoc vitio in ſanitatis detrimentum frequentiſſime maculari.

Quarto loco explicanda venit *Tabes ſeu phthiſis ſcrophuloſa.* Glandulæ colli, aurium, bronchiorum, meſenterii ſæpiſſime indurantur a viru ſcrophuloſo. Glandulæ hæ in triplici ſtatu poſſunt conſiderari, ſcilicet.

1) aut in ſtatu indolentiæ, & duritiei,

2) in ſtatu inflammationis,

3) in ſtatu ſuppurationis.

Glandulæ lymphaticæ ſolummodo qua induratæ, *atrophiam* inducunt, morbum pueris, voracibus, victu crudo, farinaceoque utentibus, conſuetum, aut pulte. Quodſi in corpore ejusmodi glandulis ſcirrhoſis obſeſſis febris qualiscunque oriatur, ex ſolo citatiori hoc humorum motu glandulæ ipſæ inflammantur, & lege conſueto partium inflammatarum in ſuppurationem abeunt. Glandulæ

ita

ita ſuppurantes in abdominis e. g. cavo, phthiſin faciunt.

Gravem hoc loco obſervationem addam in omni obſtructione, ſeu ſcirrhoſa, ſeu ſcrophuloſa, ſive quacunque alia; ſcilicet, ſi pars quædam corporis obſtructa ſit, & reſolventibus tentetur, reſolutionem hanc mitiſſimis primo, dein paulo fortioribus faciendam eſſe, paulatim & ſuſpendo pede. Evenit enim, ut aut nimis propere validis reſolventibus utamur, aut obſtructionem jam non amplius reſolubilem nihilominus validioribus continuo remediis urgeamus; qua re fit, ut remediorum vis omnis non in irreſolubili obſtructione inſumatur, ſed in ſuperſtite ſanitate peſſundetur: ſic quem obſtructio diutius adhuc vivere permiſiſſet, ipſa medendi importuna methodus vivis eripuit. Præterea contingit, ut potentiora & nimis præcipitanter data remedia reſolventia tumores indolentes & duros inflamment, inque ſuppurationem cogant abire.

Phthiſin ſcrophuloſam ſeu *glandularem*, ſeu etiam *ſpuriam*, *pituitoſam* multa inducunt, de quibus hic, utpote ſcitu perquam neceſſaria, explicatius agam.

1) Phthiſis hæc oritur poſt intermittentes *longas*, *neglectas*, *cortice*, *adſtringentibus*, *ar-*

arſenico ſuppreſſas. *Evacuationibus* requiſitis neglectis, non iteratis, non datis ſolventibus ante evacuationes. Aut cortice dato quidem, at non *copioſe*, *non diu*, non una cum coindicatis, non adusque plenam febrilis fomitis extinctionem.

2) Poſt febres æſtivas, autumnales, ſive biliofas, neglecta emetocatharſi, aut ea, ſi opus fuerit, non repetita. Hæ febres venæ ſectionibus curatæ meris pulmones petunt, quin etiam absque venæ ſectionibus idem faciunt. Exempla dedit æſtas præterita.

3) Poſt diarrhœas bilioſas, putridas, poſt dyſenterias opio cohibitas, poſt cruditates narcoticis tractatas phthiſis frequens. Item adſtringentibus, intempeſtive adhibitis, in diarrhœa & dyſenteria.

4) Poſt rheumatismos gaſtricos non bene curatos, ſed aut *ſudoriferis*, aut venæ ſectionibus tentatos.

5) Poſt peripneumonias nothas venæ ſectionibus curatas.

6) Poſt peripneumonias veras & pleuritides, ſi expectoratio *nimium* urgeatur & *diu*.

7.) Tuſſes ſtomachicæ, neglectæ, tepidis, oleoſis, mucilaginoſis tractatæ.

Quinta ſpecies eſt *tabes venerea* non illa ab onania, ſed ab ipſo venereo miasmate,

Ta-

Tabes venerea oritur varia ratione; a parte quadam interna, e. g. pulmonum eroſa ulcere venereo interno. 2) a latente alicubi carie. 3) ab adhibita cura ipſa antivenerea, ſalivali, ſudorifera, exſiccanteque.

Huc revocari aliqua ratione poteſt tabes ab ulcere *ſcorbutico cancroſo*, quocunque, interno præcipue, & depaſcente. Hinc intelligimus, quid ſit *tabes ſcorbutica*.

6) *Hydropica* tabes, ubi tumente abdomine, & cruribus, ſuperiora emaciantur.

7) *Tabes rhachitica*. Novimus rhachiticos artus extabeſcere, carnes muſculorum abſumi, flacceſcere. *Petrus Diverſus Salius*; ni fallor, illam deſcripſit ſub nomine *tabis pectoreæ*.

8) *Tabes a venenis*. Ab arſenico, ab aqua toffana, a Saturno. Plumbum enim extabeſcere brachium præprimis facit.

Huc fere omnes notæ tabis ſpecies poſſunt revocari; harum quælibet poteſt ſecundum binos gradus in *incipientem* & *confirmatam*, ſeu *conſumatam* dividi; quæ diviſio ad diagnoſin nihil facit, ſed multum ad prognoſin.

Phthiſeos confirmatæ ſymptomata oportet noſſe, ne ſanitatem promittamus, ubi mors ſequitur.

Diſ-

Difficili anhelitus, extenuatio, languor, pulſus parvi, celeres, colliquatio, Febris longa, vaga; remittens tertiana, ſimplex, duplicata, poſt paſtum veſperi. Appetitus, ſeu gravitas ab aſſumptis. Diarrhœa colliquans, per vices, diuturna. Fugax calor, genarum rubor, vel alterutrius. Ardor in volis manuum. Animi plerumque ſi non alacritas, at ſaltem æquanimitas, & morbi patientia. Vana de ſalute ſpes, ita ut a morte non multum remoti ſibi ſæpe promittant ſanitatem. Mirum naturæ, & creatoris beneficium, quo propinquum in morbo longo periculum ipſi ægrotanti occultatur, & delinitur miſerrimus alias ſtatus, dulci convaleſcentiæ ſpe. Mors integerrimis ſenſibus, plerumque inopinata inter ſurgendum, bibendum, loquendum.

De prognoſi jam nuper quædam attigi, ea nunc pluribus perſequar.

1) Phthiſis purulenta a fomite purulento interno letalis, ſi exitus puri liber ante conciliari nequit. Hinc vomicæ pulmonum *majores*, *interiora pulmonum* occupantes, *tarde disruptæ*, aut parum tantum puris per anguſtum orificium profundentes, mortem adferunt.

2) Phthiſis purulenta hepatis funeſta; renum ſubinde in initio curanda, ſi pus probe cum urina evacuatur, ſecus *diu* fertur, donec integer ren fere fuerit in ſaccum purulentum converſus.

3) Pus in cavo abdominis collectum plerumque lethum affert, cum gravem abdominalium viſcerum ulcerationem præſupponat. Eſt is *hydrops purulentus*.

4) Pus intra muſculos abdominis collectum, & cito cognitum, emiſſumque aliquoties eſt, ægro ſuperſtite.

5) Abſceſſus inteſtinorum, indeque oriri incipiens phthiſis e. g. poſt longam dyſenteriam, ni lata, profundaque ea ulcera ſint, & adſit ætas juvenilis, ſubinde eſt curata.

6) Phthiſes purulentæ ex *nimia ſuppuratione* e. g. poſt amputationem mammæ, artus alicujus majoris, in abſceſſu quodam externo, omnium maxime eſt curabilis. Curavimus anno priori duas ejusmodi phthiſeos ope radicis arnicæ, omni bihorio drachma una; aderat jam diarrhœa colliquativa, ſudores colliquativi. Profunt tunc tum hæc ipſa radix, cum chinchina; ſed radix ibi profuit, ubi cortex nos deſeruit.

7) *Tabes nutricum*, ni nondum purulenta ſputent, ſæpe ſanatur.

8)

8) *Tabes dorſalis* varius accidit, ſed vitæ miſerrimæ, ipſa morte miſeriori, ſenſuum omnium externorum & internorum debilitati, & hujus vitæ furiis tradit.

9) *Tabes ſcrophuloſa* rariſſime curatur, Scrophulæ ſubinde curantur; at inde orta extabeſcentia perquam raro.

10) *Tabes venerea* rariſſime ſanationem admittit.

11) *Tabes hydropica* letalis.

12) Rachitis initians atque etiam progreſſa ſæpiſſime vitæ parcit; ſed ſuperſtites inde emaciati ſunt, & diſtorti.

Cura.

1) Specificum antihecticum nullum datur, nec dari poteſt.

2) Variæ methodi ſunt, & varia remedia, prout variæ cauſæ ſunt.

Celebratiores tunc methodi ſunt ſequentes:

1) Nutriens, reficiensque.
2) Roborans.
3) Balſamica, & detergens.
4) Reſolvens.
5) Antiphlogiſtica.
6) Evacuans per emeſin.

Nutriunt

1) *Lac, ſerum lactis cum & ſine herbis, lac ebutyratum. Lac caprillum, aſininum, fœminæ ſanæ ſeu nutricis. Lac ſolum & lacticinia, aut una cum aliis cibis.*

2) Carnes quorundam animalium, vitulinæ, aut potius jura vitulina, non autem pedum vitulinorum. Jura cancrorum, teſtudinum, ranarum, viperarum, carnes pullorum, columbarum aſſæ. Bulbi orchidis & Salap. Altheæ radix, tabulæ &c. Profunt hæc nutrientia in tabe dorſali, atque in omni illa tabis ſpecie, quæ fit a nimia humoris alicujus, ſive boni, ſive mali deperditione; tabe nutricum. At vero in *tabe purulenta* carnes & meraciora ſaltem juſcula febrim accendunt; lac minus convenit quam ejus ſerum. In tabe dorſali *Hippocrates* dedit primo lac aſininum, dein per 40 dies lac vaccinum, & poſtea cibos molles ad reficiendas vires. Nutriunt farinacea, & eorundem cremores; hinc celebrata quondam erat *cura* avenacea *Loweri*; hinc cremor hordei &c.

2da. *Methodus eſt roborans*, utitur cortice. Quæritur, an in *internis* ſupurationibus conveniat, ubi exitus puri nullus datur. Raro tunc, aut nunquam juvit, interim tamen laborantem machinam ſubinde ſuſtinet.

Ma-

Magis prodeſt, in largiſſimis ſuppurationibus *externis*. Quodſi vero ob diarrhœam colliquativam is cortex cito e corpore eliminetur, prodeſt valdopere tunc radix arnicæ ad drachmam unam omni bihorio diu noctuque. Subinde *nutriens* & *roborans* methodus conjungitur.

Equitatio. In purulenta phthiſi non prodeſt, ſed nocet. Juvat autem in emaciatione poſt *graves*, *longas* febres, poſt evacuationes largas, ſanguinis, ſeminis, ſpirituum naturalium, in phthiſi ſpuria a languente ventriculo, ſcrophuloſa.

Balneorum frigidorum uſus magis forte laudatur, quam mereatur. Utilem cenſeo *conſuetudinem* balnei aut potius *natationis* in fluvio, aut rivo. At vero *quietum* ſedere, & *debilem* in frigida aqua, quod ſolum conſtringente ſuo frigore agit, æque parum medicamentoſum judico, ac exponere ſeſe *quietum* frigori auræ hyemalis. Plus forte *immerſiones* repentinæ, atque iteratæ extractiones proderunt in rebellibus morbis articulorum arthriticis, podagricis &c. Certe, non laudo conſuetudinem, vel conſilium illorum, qui recens natos infantes frigido balneo imergunt. Debilis infans moritur, debilis infans, & moriturus, item præmaturus *calore* ſervatur.

tur. Exemplum ab antiquis germanis deductum parum probat, uti etiam exemplum Zingarorum hodiedum; nam inopiæ, paupertati, & errabundæ vitæ, cum nullibi ſtabile domicilium habeant, hoc potius eſt adſcribendum, quam cuidam incorrupto naturæ inſtinctui. Certe animalia recens nata a frigore ſeſe defendunt, & a matribus contra illud præmuniuntur.

Tranſitus ille a balneo calido in utero matris ad magnum frigus, impune certe raro fertur. Non obſtat, quod aliqui, quin plurimi evadant. Id enim ex benignitate ſingulari naturæ potius provenit, quam a methodo adhibita.

Aer campeſtris in omni phthiſi prodeſt, maxime vero in illa a nimia ſanguinis, aut humoris cujusque boni deperditione. Aer hic campeſtris exercitationi junctus, debiles vires confirmabit, objecta ruris mentem avocabunt a ſtudiis nimiis, mœrore, amore. Huc & *peregrinatio* ad exteros, huc & *itinera ad thermas* ſuſcepta pertinent, utpote quæ aëre mutato, corporis exercitatione, & multarum rerum novitate, aptam corpori atque animo medicinam afferunt.

Converſatio præprimis inter abietes, pineta, in cubiculo fumis aromaticis luſtrato,

ipſa

ipſa fumi aromatici ope machinæ aut infundibuli admiſſio, phthiſicis ex laxo, ulceroſo pulmone admodum profuit; cavendum ſolum eſt, ne fumorum aromaticorum intra pulmones ſuſceptio tuſſim excitet, laxis, ulceratis, ſanguinem fundentibus pulmonibus infeſtam.

Fuerunt, qui ægros in ſcrobibus efoſſis poſuere, capite ſolum eminente extra ſcrobem, ut vaporem terræ admittant, cui vim tribuerunt roborantem, reficientem, nutrientem; ſed converſatio ruralis commodior, amœnior & utilior erit, quam *hoc terræ* balneum. *Balneum aëreum Franklini.*

Quidam phthiſici ſtabulis includebantur fimo pecorum cornutorum quaſi immerſi; cui pariter reficientem, reſtaurantem, roborantem vim tribuerunt. Sed ſpurcum hoc remedium & ſana ratio reprobat, & obſervatio; nil enim emolumenti, ab aere concluſo, immundoque, at multum detrimenti æger capiet; hinc merito e ſana praxi exulat hoc *fimi balneum.*

Accubitus corporis juvenilis, calore fors ſolo prodeſſe poteſt. Etenim halitus exiens e corpore accumbentis ad humores recrementitios pertinet, & urina quodantenus refert. Hinc non adparet, quid boni tabido corpori accedere queat ab ſuſceptione vaporum ejus-

mo-

modi emanantium ex accumbente corpore. Hinc refectio illa ſeniculi Davidis, quam accumbens Juvencula Sunamida eidem præſtitit, calori ſolo debebatur. Accubitus in marasmo ſenili ſolummodo locum videtur habere; at vero aliis tabidis nil proficiet, & accumbenti etiam ſubinde nocebit. Equidem non puto, phthiſin purulentam aut etiam aliam eſſe *contagioſam*, quamvis plurimi id aſſerunt & quamvis *Morgagnius* phthiſicorum corpora nunquam diſſecuerit, ex metu ſcilicet contagii. Quæſo, an abſceſſum pus fundentem times ob contagium? Si in pulmone locatus ſit, nonne idem erit, excepto ſolo loco? Nihilominus ſudor impurus tabidi hominis aërem cubiculi inquinat; admiſſus & ſuſceptus ab accumbente noxam inferre poteſt.

Vinum in tabe ſenili; item vina auſtera, oleoſa in tabe ab evacuatione.

Illuſtriſſimus noſter Præſes narrabat, ſe hominem phthiſicum ſolo ſalviæ infuſo curasſe, ubi lac non profuerat. Etiam hoc remedium ad methodum roborantem pertinet.

Decoctum foliorum ſalicis albæ, item corticis ſalicis albæ cum æquali lactis recentis copia, profuit eodem modo, & iisdem in caſibus, ubi cortex peruvianus indicabatur.

Eli-

Elixirium vitrioli adeo commendatum phthiſin ſolum a læſa ventriculi functione oriundam ſanare ſubinde poteſt, purulentam exacerbat certo.

Quæ ſint vires petrolei nuperrime primum tamquam antiphthiſicum laudati, ſuapte perſpicimus, determinamusque ubi noceat (nocebit autem ſæpiſſime,) atque etiam, ubi proſit.

3. *Methodus eſt detergens & balſamica.* Hæc in eo conſiſtit, ut ægro aut balſama nativa, peruvianus, de copaiva, propinentur, aut herbæ, plantæ, cortices, ligna balſamica; huc aqua picis (Theerwaſſer). Prodeſt hæc methodus in tabe incipiente ab acri, ſcabioſo e. g. aut herpetico maſſam humorum coinquinante; & in omni acri, quod ad vias urinarias poteſt ablegari e. g. in ſcabie retropreſſa, achoribus repulſis illitu quodam unquinoſo & pinqui. In tabe a nimia deperditione humoris alicujus, aut a fomite purulento hæc methodus aut non quadrat, aut eſt inefficax.

4ta. *Eſt reſolvens.* Saponibus hæc utitur aut vegetabilibus, aut aliis arte factis. *Gummata ferulacea. Succi recentes* taraxaci, chærophylli, beccabungæ, aquæ omnes medicatæ, quæ blando & miti ſale dotata ſunt, præ-

præcipue *ſelteranæ*, *cum* & *ſine* lacte. Pulvis antimonii. Aqua marina ad libram unam. Tenue infuſum rhei; cichoreum, taraxacum, gramen; proſunt ſolventia hac in phthiſi ſcrophuloſa, glandulari, in phthiſi poſt febres intermittentes, tuſſes ſtomachicas neglectas, prodeſt etiam in quadam phthiſeos purulentæ ſpecie; contingit enim ut in inflammatione pulmonum repente materies deponatur, non in cavum thoracis, unde pſeudomembranæ, non in bronchia, unde ſputa critica, ſed in fungoſa ipſius pulmonis ſubſtantia reſideat; ſecuimus enim non raro pulmones, quos pluримæ minutulæ collectiones puriformes obſidebant, lentis, piſi, fabæ magnitudine. Hoc ſi evenerit, proderit attenuare humores aſſumpto remedio ſolvente, præcipue ſalino, quale in aquis ſelteranis, rhoiſchizenſibus, habemus. Parvæ pulmonum vomicæ non raro viſæ ſunt conſolidari conſanarique hac ratione, Exiguæ ſuppurationes poſt pleuritidem & peripneumoniam ſubinde fuerunt aquis ſelteranis curatæ; at vero in *majori* puris collectione, item ubi febris *magna* jam eſt, ubi puri exitus liber patet, ubi ſudores colliquativi, colliquativa diarrhœa ægrum urgent, aquis his, aut ſolventibus locus non eſt; exitus præcipitatur hac ratione in mortem; va-

num

num etenim eſt dare tunc *ſerum lactis*; nocet etiam in phthiſi ab evacuationibus. Dandus potius cortex & arnica. In phthiſi ab herpete retropreſſo, ſcabie retropreſſa, a materie arthritica, rheumatica pulmones occupante, prodeſt hæc ſolvens methodus.

5ta. *Methodus* phthiſin curandi, eſt methodus *antiphlogiſtica*. Hæc ſub ſequentibus conditionibus utilis, quin & unice neceſſaria eſſe non raro poteſt.

1) Enim novimus ex diſſertatione de Hæmoptoë, dari quandam *hæmoptoës ſpeciem*, quam *inflammatoriam* diximus, in hominibus teneris, junceo corpore, collo gracili, anguſto thorace & exſtantibus ſcapulis, roſeis genis, ingenio præcoci, ſubtili, & fibra delicata, ac ſumme irritabili donatis, frequenter obſervatam, & chronicam. Horum conditio talis eſt, ac ſi *aſſidua levique* peripneumonia confligarentur, ubi portiuncula pulmonum in ſuppurationem abit, dum aliæ adhucdum inflammatæ ſunt, & ipſæ demum ſuppuraturæ. In his inflammationem oportet omni artis conamine tollere, utpote cauſſam aſſiduæ & ſucceſſivæ ſuppurationis; ablata pulmonum inflammatione, ſuppurata non magna eorum plaga ſuapte conſolidabatur. Hæc eſt notio phthiſeos poſt *hanc* hæmoptoës ſpeciem obſervatæ. Huic

convenit *crebra*, *parcior* tamen venæ ſectio, victus excarnis, & ſine vino, althea, malva, ſerum lactis, lac ebutyratum; hordei cremor, omniaque ea, quæ pleuritidi veræ, aut veræ peripneumoniæ conveniunt, ubi illa adhuc ſolvi poteſt *ex parte*, & ubi *perparum puris* adhuc eſt formatum. Nocent hic cortex, lac, equitatio, aquæ ſelteranæ, lichen, polygala, balſama, elixir vitrioli &c.

Quæſo enim, ſi brachium integrum ferme dire inflammatum habeas, uti & digitos, ſi uno in digito inflammatio incipiat in ſuppurationem abire, & pus fundere, nonne methodum ſumme antiphlogiſticam adhibebis, ut, priusquam partes ceteræ ſuppurent, inflammatio tanquam cauſſa ſuppurationis, *benigne* reſolvatur. At hanc benignam reſolutionem non cortice, non exercitio corporis &c. obtinebis, ſed ſanguinis iterata miſſione & multa, ac antiphlogiſtica potione. Transfer exemplum ad pulmones hominis dicta ratione ex hæmoptoë tabeſcere incipientis.

2) Subinde circa vomicam, ſive clauſam, ſive apertam nova inflammatio naſcitur, in ſuppurationem abitura, ni methodo antiphlogiſtica præcaveas.

3) Phthiſis ſcrophuloſa ſubinde in ſuppuratoriam & ulceroſam abit, ſi tubercula inflam-

ſlammentur, & inflammata ſuppurent. Fit hoc, ſi in corpore ſcrophuloſo febris oriatur; aut ſecundo, ſi ſcrophulas aggrediaris remediis nimium moventibus. Hoc in caſu opus eſt venæ ſectione, ut tranſitus ex ſcrophuloſa aut tuberculoſa corporis diſpoſitione prohibeatur in phthiſin ulceroſam.

6ta. *Methodus* eſt *evacuans*. Certæ proſtant præcipue *Mortoni* in tractatu de phthiſi obſervationes evacuantium, ſed præcipue leniorum emeticorum in phthiſi proficuorum; ſed æque certum eſt, emetica hæc, utut leniora ſæpe numero nocere debere, eſſe peculiarem phthiſeos ſpeciem, ubi illa conveniunt. Phthiſin novimus.

1) A vitio ventriculi ortam poſt intermittentes *longas*, ſuffocatas cortice, & adſtringentibus palliatas.

2) A ſaburra bilioſa, pituitoſaque.

3) Ab infarctu pulmonum, non inflammatorio, & humorum recrementitiorum per ſputa evacuatione nimia. Fit enim in iis maxime, quibus alvus adſtricta plerumque eſt, ut multæ ſordes, quæ per alvum, urinam, perſpirationem feliciter abigerentur, pulmonem petant, ibique larga anacatarſi quotidie efferantur. Hæc rerum conditio nondum appellari phthiſis debet, ſed excretio erronea,

mo-

moleſta; at vero ſi ea largior fit, ſi fungoſus pulmo vim inde patiatur, multa thoracis incommoda, reſpiratio difficilis, aſthmatica, hæmoptoë, ſed & ſpuria quædam phthiſis oritur.

4) In tuſſi ſtomachica, convulſiva, verminoſa.

5) In febribus quibusdam æſtivis, pulmonem illico petentibus, multis repente ſub febri non magna, larga ſputorum copia effertur, quaſi purulentorum. Ea res habetur pro vomica latente nunc rupta, quæve ita latuit, ut ejus præſentiam nulla antea ſigna commonſtrarint. Verum nec pus eſſe puto *genuinum*, nec vomicam latuiſſe, ſed fuiſſe metaſtaſin repentinam ad pulmones factam ex ſorde abdominali; etenim febris ipſa tunc eſſe ſolet gaſtrica. Vomitorium præmiſſo ſolvente egregie prodeſt. *Baglivius* abſceſſus pulmonis asſerebat per annos inoxie latere poſſe, & pus ſuam præſentiam in pulmonibus plerumque nullo ſigno oſtendere. Hoc falſum eſſe, ex vomicis patet, poſt pleuritides & peripneumonias ſuppuratas obſervatis, quæ febrim tabificam comitem ſemper habent.

CAR-

CARDIALGIA.

Recenſitis quibusdam pectoris morbis; ad eos devenimus, qui partes pectori ſubjectas afficiunt. Hos inter maxime varius ventriculi dolor pertinet.

Dividitur ventriculi dolor ratione diverſæ ſenſationis

1) in *pyroſin*, ſive *ardorem ventriculi*, (Sodbrennen).

2) In veram *cardialgiam*, ſive dolorem ventriculi, cum ſenſu leipothymiæ, & levi animi deliquio, demum.

3) In *gaſtrodiniam*, dolorem ventriculi absque ejusmodi animi deliquio.

Dividitur item ratione *cauſſæ* cardialgiam vel pyroſin producentis.

Sedes mali in tota ventriculi ſubſtantia, ejusque præcipue nerveis partibus eſſe ſolet. Maxime tamen is dolor circa ſic dictum ſcrobiculum ſentitur, cui cardia reſpondet.

Cauſarum dolorem ventriculi efficientium tantus numerus, ut earum omnium enumeratio aut noſtram patientiam ſuperaret, aut memoriam ſubterfugeret. *Frequentiores* tantummodo, atque in praxi præ reliquis uſu venire ſolitas, hic afferam.

Sit *primo ardor ventriculi*, cardialgia, pyroſis. (Sodbrennen) Conſueta multis ægritudo eſt, dolentque ita acriter, ac ſi viva ex ventriculo per fauces flamma aſcenderet. Cauſa potior eſt materies acida, acido-auſtera, rancida, bilioſa &c.

Curam ea omnia perficiunt, quæ notæ acrimoniæ contraria ſunt, materiemque immutant, eliminant, ac ulteriorem ejusdem genefin præcavent.

Pyroſin ab acido, præmiſſo vomitu, ſanat magneſia nitri, cui aliquid rhei, & pauxillum olei fœniculi, aut elœoſachari cujusdam e. g. juniperi additur. Ulteriorem materiæ acidæ generationem prohibet rheum quotidie maſticatum, mane jejuno ventriculo; item elixirium proprietatis ſine acido paratum. Sunt, qui languidiſſimum ventriculum percurarunt, cum quotidie aliquoties pauca piperis integra grana devorarunt, qua re id effecerunt, ut reſtaurato ventriculi vigore nil amplius ſordium acidarum naſceretur. Potus frigidæ, corpore non æſtuante & mane aſſumptum, & exercitium equeſtre æque proſunt.

Secunda cardialgiæ ſpecies eſt *cardialgia ab ingluvie*. Dignoſcitur hæc ſpecies a prægreſſa lauto prandio, & ægris ſe ingurgitantis confeſſione; a flatibus, ructibus pravis.

Ma-

Malum hoc ſæpe haud intra ſolam cardialgiam conſiſtit, ſed in praediſpoſitis, ſeniculis nimia hæc repletio, ſenſus primo confuſionem, hebetudinem, demum ipſam mortem apoplecticam infert. Haec ratio eſt, quare mortes apoplecticae inter conſeſſus amicorum jucundos haud ſint infrequentes. Cardialgiam ab ingluvie ſanat ſponte oborta altero poſt ingurgitationem die, larga diarrhœa, aut vomitus arte concitatus, vel ortus ſuapte. Gravis quaeſtio agitata inter autores medicos, quid facto opus ſit in apoplexia hac ſympathica, a nimia videlicet ventriculi repletione oriunda. Sunt, quibus præmiſſa venæ ſectione ſufficit, fauces plumula irritaſſe, ſicque vomitum, ſi id ea ratione fieri queat, provocaſſe; quod ſi id fieri nequeat, purgante et enematibus exturbare per inferiora materiem volunt, ut ſic depleto ventriculo aorta preſſa ab onere liberetur, & minus ſanguinis ad encephalum, plus vero ad abdomen dimittat. Alii vero præmiſſa miſſione ſanguinis cito adplicatis emeticum exhibent, ut ablata aortæ preſſione liberior denuo per abdomen humorum motus reſtituatur. Ad dirimendam hanc litem notandum eſt, mechanicam irritationem neutiquam perſæpe ſufficere ad provocandum vomitum; diarrhœam

ve-

vero excitari tarde, eamque vices' emeſeos nulla ratione ſubire; febrim purgante accerſiri; aut preſentem augeri; encephali functiones manere abolitas, quamdiu diſtentus ventriculus erit, qui ſubjectam ſibi aortam premet; hinc effectum preſſionis ſive apoplexiam non poſſe aufferri, niſi et ipſa cauſſa, ventriculi videlicet repletio, aufferatur. Præplacet illa methodus, quae molem gravantem prompto emetico excutit, Præplacet ad hunc ipſum finem emeticum potius ex albo vitriolo, quam ex ipecacuanha aut tartaro emetico paratum, cum promptius vomitorium vitriolo albo vix exiſtat. Datur a granis viij. ad xvj. ſcrup. 1 - drach. ß Quid ſi certo noveris, appoplexiæ cauſſam in ventriculo nimium repleto haberi, quid ſi ablata deglutiendi difficultas ita ſit, ut ingerere in ventriculum nil poſſis? quid ſi a purgante ob dictas rationes ſpres nihil, quid ſi mediante tubulo longo incurvatoque per fauces in ventriculum usque demiſſo ſolutionem emeticam ingerere nihilominus quamcunque ob cauſſam non poſſis! Quid, ſi certae morti apoplecticæ ob inopiam conſilii relinquere debeas? Fuit, qui in dicto caſu per apertam jugularem venam aliquid ſolutionis emeticæ antimonialis infudit, caſu temerario, ſed felici, cum ſecuta larga eme-

ſi

ſi & catharſi mens, & demum ſanitas rediret.

Cardialgia bilioſa. Morbus frequens eſt, & peculiaribus characteribus inſignitus. Dolor ventriculi a bile, vel bilis ſaltem formam habente materie ortus, vehemens eſſe ſolet, & cum vomitu æruginoſo junctus, per vices exacerbatur. Aeger animo eſt ſupra modum dejecto, anxio. Vires debiles ſunt, & pulſus ſæpe imbecilli, celeresque, attactum, nec minimum fert circa cordis ſcrobiculum. Confunditur perperam non raro cum cardialgia hyſterica foeminarum, quacum omnia ferme communia habet, niſi quod lingua ægri aut flava ſit, aut viridis, aut albicante pellicula obducta. Sed etiam cum *gaſtritide* ſubinde confundi ſolet ob doloris vim, anxietates, jactationes; verum lingua bilioſa, tempus anni inflammationi haud favens, et defectus ſignorum, quæ alias inflammationi communia eſſe ſolent, facile demonſtrant bilioſam cardialgiæ indolem. Maximi momenti tamen eſt ad diagnoſin hujus cardialgiæ bilioſæ ab inflammatoria, quod *bilioſa frequenter* redeat. Morbus hic cum *colica* ſic dicta *bilioſa* penitus convenit, inferius explicanda.

Curatur

1) Solventibus *ſalinis*, materiem craſſam incidentibus,

2) vomitu artificiali. De hac vomitu ſpecie canon valet: *Oportere vomitum vomitu ſiſtere.*

3) Roborantibus ſtomachicis.

Epithemata & ſic dicta ſcuta ſtomachica vana remedia hoc in caſu ſunt, uti etiam aſſumpta ſpirituoſa, carminantia.

Opium cardialgiam hanc ad pauculum temporis ſopit, ſed ea poſtmodum gravior redit, & vis ventriculi plus æquo jam debilitata, aſſumptis narcoticis magis dejicitur.

Cardialgia hæc bilioſa ſæpiſſime absque febre eſt, jejunantes affligit maxime. Subinde vero febrium bilioſarum ſymptoma, ubi ſubinde adeo valida, tantaque in ægro anxietatum, jactationum, deliquiorum animi cauſſa eſt, ut ſchola vetus eam febris bilioſæ ſpeciem, ubi turgens circa ventriculum materies ſyncopen fecerat, *ſyncopalem* compellarit.

Cardialgia a bradypepſia, ſive a dejecto ventriculi tono, obſervatur poſt morbos acutos, præcipue gaſtricos, bilioſos, pituitoſos. Etenim prout a morbo inflammatorio cito plerumque priſtinum ægri vigorem reſumunt, ita poſt morbos gaſtricos diu languent, & non

niſi

niſi tarde a cardialgia, ac tarda ventriculi coctione percurantur. Hæc quoque cardialgiæ ſpecies orta ab atonia ventriculi multarum commeſſationum, compotationum, abuſus ſpirituum ardentium, triſtis ſequela eſt. Juvat ſubinde eupepta diæta, infuſio frigida radic. gentian. rubræ, corticum aurantiorum, & piperis longi, mediante vino Hiſpanico vel Tokayano confecta; frictio abdominis & epigaſtrii, maxime mane jejuno ventriculo; equitatio, qua exercitatione vix alia aptior eſſe ſolet viſceribus abdominalibus confirmandis.

Cardialgia flatulenta, ab ingeſtis plerumque oritur multo aëre plenis, fructibus horæis nimia copia aſſumptis, & fermentantibus, a muſto, uvisque copioſius comeſtis, & fermentationem ſubeuntibus, a cereviſia in actu fermentationis ſuppreſſa (Luftbier); ventriculus aere extricato multum diſtentitur, diſtentus acriter dolet. Cardia, ſive orificium ventriculi ſuperius, ſpaſtice conſtringitur, qua conſtrictione orificiorum ventriculi flatuum collectarum eruptio, vomitusque ſalutaris prohibetur. Hoc in caſu eluenda alvus eſt enemate eccoprotico, carminante. Spasmus orificiorum ventriculi carminantibus, anodynis, liquore anodyno min. Hoffmanni, lauda-

no,

no, ſolvendus, eoque ſoluto, emeſis concitanda eſt.

Ceterum proderit res ejusmodi fermenteſcibiles, aut prorſus non aſſumere, aut non niſi jejuno ventriculo, mane videlicet, itemque veſperi. Nam horæi fructus poſt paſtum & prandium lautum ingeſti, diu in ventriculo, loco humido & calido, commorantur, hacque ipſa diuturniori mora comixti alimentis variis, acidis, facillime & promtam fermentationem ſubeunt. Fermentantem ceterum ſaburram, egregie compeſcit magneſia nitri cum rheo juncta.

Cardialgia hyſterica, falſo ſoli imputatur irritabilitali fibrarum tunicæ muſcularis ventriculi. Etenim ſola irritabilitas nunquam ſpasmos producit, ſed cauſſam occaſionalem ſive ſtimulum expetit irritantem. Hinc fruſtra exhibentur ſola nervina, narcoticaque, quæ doloris ſenſum, ſtimulo non ablato, ſuffocant, & atoniam ventriculi relinquunt, ſpasmis futuris magis oppurtunam.

Cardialgia ab aſſumptis acribus, a venenis ſubinde cum vomitu, quin imo cum hyperemeſi, & hypercatarſi ægrum affligit. Cardialgia hæc a nimia purgantis & draſtici quantitate ſubinde obſervatur, vel etiam a purgante juſta doſi, quod tempore non ſuo,

aut

aut homini ſumme irritabili propinatur. Effectus horum venenorum aut medicamentorum draſticorum eſt, valide ſtimulare ventriculum, eumque inflammare.

Hinc indicationes erunt;

Primo materiem acrem, venenoſam quantocyus removere.

Secundo eam, ſi removere ex integro nequeas, obtundere, enervare, involvere.

Tertio ſpasmos ablata licet acri materia reſiduos conſopire. His indicationibus ſatisfacient.

1) Cito operans emeticum, niſi jam adſit emeſis ſpontanea.

2) Potus copioſus lactis, hydrogalæ, olei, lactis amygdalini, aquæ mellitæ, juſculi carnium pinguis.

Quodſi nimii motus, rejecto licet ſtimulo ſuperſint, confugiendum ad ipſa opiata erit.

Per obſervationes conſtat, antidotum venenorum vegetabilium eſſe acetum, idque cicurare vires venenatas plantarum. Quod ſi vero conſtet, homini datum eſſe mercurium ſublimatum corroſivum (ejus antidotum erit lixivium ſalis alcalini tenue, ita, ut e. g. ſalis abſynthii non ſulphurat: aut ſalis tartari, aut cinerum clavellatorum uncia ſemiſſa in

men-

menſura aquæ communis. Hac ratione, niſi fors inflammatio ventriculi jam adſit, decomponetur mercurius ſublimatus, cum acidum ſalis, ſali tartari maritetur.

Quod ſi quæſtio naſcatur, an is vel iſte veneno fuerit eneƈtus, inquiri debet:

1) In læſum œſophagum, ventriculum & inteſtina.

2) An materies colleƈta in ventriculo pani intinƈta canem enecet. Arſenicum igni injeƈtum alliaceo odore ſe prodit, & intra duas laminas cupreas poſitum, cuprum in ignem dealbat. Cautela ſumma eſt neceſſaria.

Cardialgia menſtruantium non infrequens malum eſt. Oritur, ſi ſanguis menſtruus ob uteri ſtriƈtiorem habitum per vaſa ejusdem haud efferatur, ſed retentus ſtagnet, & accumulatus, non ſola uteri vaſa, ſed & vicina inteſtinorum ac ventriculi vaſa diſtendat, vellicetque. Hic ventriculi dolor inſtante menſium fluxu ægram maxime exercebit. Proderit pediluvium, aquae vapor ad inferiora admiſtus, ſeƈtio venæ in pede, enemata ſanguinem verſus anum & uterum determinantia, remedia lenia ſalina, nitroſa, magneſia nitri. Tandem præmiſſis his tempore inter menſtruum fluxum medio, catameniis jam in

ſtan-

ſtantibus, optimum emenagogum erit unum alterumque granum extracti aloës, bis per diem, aut vero mane & veſperi maſſa pilularum Ruffi ad gr. vi. vij exhibita.

Tanquam univerſales regulæ obſervandæ ſunt in pellendis fœminarum menſibus ſequentes:

1) Remedia emenagoga nunquam ſunt exhibenda, etſi ſint *indicata*, niſi ubi *tempus illud* appropinquat, quo alias catamenia ſolebant redire; aut ſaltem nunquam exhibeantur, niſi *conamina* menſtrua, uti ſunt dolor lumborum, gravitas artuum, alvus ſubinde aliquantum teneſmoidea, dolor exiguus colicus, advertantur.

2) Ubicunque menſtrua deficiunt, nunquam oportet directis uti emenagogis, ſed opus eſt ſemper inquirere in cauſſam & morbum principalem, cujus ſymptoma aut effectus eſt defectus catameniorum.

Gravem hanc regulam in exemplo demonſtrabo. Sit puella oëdematoſa ob febres multas, diuturnas, neglectas, male curatas. Huic percurata licet febre catamenia non fluant. Si jam ad emenagoga acceſſeris, infinita produces mala. Oportet hic primarium curare morbum, lentorem humorum incidere, evacuare, imitare, ſolidis reſtituere

tonum: univerſim curare *leucophlegmatiam*, qua curata, conſueta ſanguinis moles denuo generabitur, conſuetæ per uterum evacuationes fient. Sit puella fortis, robuſta, ruſtica, quæ curta veſticula, nudis pedibus incedit, & in rivo præterlabente lintea lavat ſæpius, frigidæ immerſa; huic habitus fiet ſtrictior, uteri vaſa plus juſto ſtringentur; menſtruus ſanguis retinebitur, orietur plethora, & inflammatoria humorum denſitas. Huic peſſimo conſilio aloëtica, emenagoga præſcriberentur; at vero curato ſtrictiori uteri habitu, levi negotio, aut ſua etiam ſponte, uterina evacuatio redibit. Catamenia ſuppreſſa reconvaleſcentium reſtituuntur denuo ipſo tempore, & remediis priſtinum corporis vigorem reducentium.

Cardialgia etiam obſervatur *in iis fœminis, quibus ob ætatem ipſam provectiorem catamenia & parcius fluunt, & tardius redeunt, & tandem emanent.* Solennior epocha emanentium penitus menſtruorum eſt plerumque intra annum 45 & 50; plerumque hæc lex obtinet, ut quæ aut maturius menſtruare ceperunt, aut victu tenui, duroque uſæ ſint, eæ etiam citius fluxum menſtruum amittant.

Cardialgia hæc hac ætate obſervata, uti & multa alia ejusdem cauſſæ incommoda fe-

li-

liciter avertuntur venæ ſectione in pede inſtituta, aut adhuc magis, hirudinibus ad anum adplicatis.

Cardialgia in viris fluxui alias *hæmorrhoidum* obnoxiis, oritur a ſanguine vaſa primum inteſtini recti, dein & aliorum inteſtinorum, demum ipſius adeo ventriculi diſtendente; quod ſi is ea copia accumuletur, ut infarcta diſtentaque ventriculi vaſa disrumpantur, ideam vomitus cruenti habebimus. Prodeſt hic aut priorem per hæmorrhoidalia vaſa evacuationem ope hirudinum reſtituere, aut vicariam evacuationem per ſanguinis miſſionem ſubſtituere.

Non pauci remediis utuntur internis, iisque calidioribus, quo reſtitantem hæmorrhoidum fluxum revocent; hinc aloëtica, flores ſulphuris &c. in auxilium vocant. Verum niſi magneſia nitri, aut magneſia muriæ, ſalis gemmæ, purgans blandum, eccoproticum, enemata, inſeſſus, vapores aquæ ad anum admiſſæ ſufficiant, infidum ferme auxilium in calidioribus, in aloëticis quæritur.

Cardialgia gravidarum. Gravidas peculiaris nonnunquam cardialgia vexat. Hæc uti vario graviditatis tempore accidere ſolet, ita & varias agnoſcit cauſſas. Hinc hanc gravidarum cardialgiam dividemus:

1) In eam, quæ primis aut diebus aut ſeptimanis poſt conceptionem obſervatur.

2) In eam, quæ circa quartum graviditatis menſem deprehenditur, &

3) in eam, quam fœminæ ultimis menſibus vel ſeptimanis experiuntur.

Primo poſt conceptionem tempore nauſeæ, vomituritiones, vomitus; cardialgia, averſio a conſuetis alias aut alimentis, aut rebus aliis, novæ factæ mutationi & irritatis nervis debentur. Huic autem ſolum medebitur tempus, cum ſucceſſive hæc incommoda ſponte curentur, vel ſi quid ars efficere valeat, proderunt acida mineralia dulcificata, ſpiritus nitri dulcis, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, antihyſterica &c. At vero cardialgia peculiaris, quæ circa quartum graviditatis menſem obſervatur, pluris fieri debet, neque tute negligitur in plethoricis præcipue, phlogiſticis, laute viventibus, tempeſtate verna, aut ſæva hyeme. Provenit hæc cardialgia plerumque a menſibus, ſanguine retento, cujus retenti integra quantitas major eſt, quam ut in alimentum fœtus conſumatur. Hinc ſuperflua illa ſanguinis moles uterinum ſyſtema gravabit, replebit demum & vicina viſcera, accumulabitur, regurgitabit verſus ſuperiora, verſus ventriculum,

lum, ejus diſtenta vaſa moleſtum inferent ſenſum, ſive cardialgiam. Hæc evacuatione alvina non curatur, antihyſtericis, ipſo opio, exacerbatur, uti & conſuetis ſtomachicis & amaricantibus. Neglecta aut male tractata abit in abortum. Etenim nimia ſanguinis ſuperflui moles, uterum occupans maxime, eundum irritabit & ad fœtus excluſionem ſollicitabit, poſtquam per aliquot jam tempus ſanguinis quid ex utero prodiverit, quod ob particulam avulſæ placentæ contingit. Hinc patet, cardialgiæ huic mederi venæ ſectionem in brachio, emulſa, nitroſa, diætam tenuem, & dum ſanguinis ex utero ſtillicidium jam obſervatur, quietem ſummam, ut avulſa forte in paucis punctis placenta denuo adglutinetur.

Alia cardialgiæ ſpecies gravidas afficit ultimis ſeptimanis, idque ideo partim, quia uterus diſtentus ventriculum ſuperiora verſus urget, partim etiam nimia uteri moles alvum tardiorem reddit; unde retardata alvina evacuatione multæ fœces colliguntur, quæ accumulatæ dolorem colicum itemque cardialgiam producunt. Non contemni hic dolor colicus, hæc cardialgia ob immorigeram alvum debet. Etenim ſordes tempore graviditatis collectæ, niſi paulo ante partum, vel mox poſt eundem debite eliminentur, febribus puerperarum

rum ſæpe pernicioſis anſam dabunt. Hinc ſuadendum gravidis eo tempore eſt diæta magis reſtricta, alvum humectans, cienda alvus erit remediis blandiſſimis, eccoproticis. Cl. *Tiſſot* multus eſt in demonſtrando leniorum purgantium uſu, etiam poſt partum, ut moles aliena in inteſtinis hærens educatur, antequam ea communi lege, qua id omnia ingeſta ſolent, in ſanguinis maſſam recipiatur, & febrim mali moris excitet. Plura, quæ de febribus puerperarum, de miliaribus præcipue earundem legi, & pauca quæ vidi ipſemet, in eam me ſententiam adducunt, ut credam, febrem puerperarum, præterquam quod & lacti in non lactantibus ex parte debeatur, ſæpius tamen, & majori fors cum periculo, ex prava in abdomine collecta materia proficiſci ferme ſemper.

Cardialgia a retropreſſa materia podagrica dignoſcitur, ſi ſubito ferme artuum podagricus dolor ceſſet, & circa ventriculum ea ſenſatio ſit, ut is frigidus aut aquæ frigidæ innatare videatur. Præterea notante *Meadio* is erit ventriculi obtuſus ſenſus, ut vel fortiſſima volatilia, & ſpirituoſiſſima ventriculum æque parum afficere videantur, ac aqua ſimplex epota. Subinde per annos hæc cardialgia afficit, nunquam amplius recurren-

te

podagrico paroxyſmo, donec tandem aliquando lethum afferat. Oritur, ſi materies podagrica ob artus jam rigidos, tophis obſesſos, deponi integre non poſſit, aut, etſi requiſita artuum materiem excipientium capacitas adſit, ſi vitæ vis movendæ ad artus materiæ, utpote nimium abundanti, haud ſufficiet. Aut ſi depoſita jam materies pediluviis frigidis, illita pedi therebinthina, emplaſtris reſinoſis & pinguibus, vi abigatur, & verſus interiora recurrat.

Cardialgiæ alia ſpecies eſt *inflammatoria*, quæ ſub nomine gaſtritidis innoteſcit, quamve utpote a *Boerhaavio* ſufficienter deſcriptam, hic omittimus. Cardialgia hominum febre maligna, miliari, petechiali laborantium a pravis plerumque in ventriculo contentis oritur. Hæc niſi evacuante remedio curetur, gravius paulo poſt periculum minatur. Cardialgia maligne ægrotantium duplex eſt, vel enim obſervatur in initio morbi, vel in morbo jam multum provecto factoque deteriori. Diſcriminis hujus obſervatio graviſſimi in cura harum febrium momenti eſt. In morbi initio aliena materies ventriculum gravans evacuari adhuc vomitu aut alvo mota poteſt; morbo vero jam multum provecto, perniciem minitante, diu retenta ſaburra eam

acri-

acrimoniam contraxit, ut ventriculo & inteſtinis inflammationem & brevi gangrænam inducat. Eo in caſu remedium evacuans male utique cederet.

Cardialgia variolantium eſt duplex & a duplici cauſſa oriunda. Cardialgia ante variolarum eruptionem plerumque debetur miasmati varioloſo interanea oberranti, & ventriculum ſollicitanti. Hic ventriculi ab hac cauſa ortus dolor facta eruptione ſponte ſe proripit. At vero ſi dolor ventriculum etiam poſt eruptionem laceſſet, ejus cauſſam plerumque in aliena materie ventriculum obſidente deprehendes, emetico excutienda. Sed ejus rei exemplum in homine variolante hoc anno vidimus.

Cardialgia ira commotorum, quæ videlicet poſt gravem iram oboritur, ad cardialgiam bilioſam referri debet. Curatur vomitu ſpontaneo plerumque, id quod in pueris ira commotis ſæpius videmus; item vomitu artificiali, alvo diarrhæica per artem vel ſponte mota.

Cardialgia ab hauſtu frigidæ æſtuante corpore æque ad bilioſam cardialgiam refertur. Hauſtus frigidæ plurima mala, pernicioſas peripneumonias & pleuritides, mortem repentinam produxit, interim frequentiſſime obſervamus vel in noſocomio noſtro, bilio-

ſa

ſa colluvie gravari eos, qui frigidam æſtuante corpore hauſerint. Rationem illam arbitror, quod frigidiſſima aqua calenti & æque ſudanti internæ ſuperficiei ventriculi adplicata, vaſcula extrema repente conſtringat; & momento poſt denuo relaxet.

Obſervata eſt *cardialgia ab intropreſſo cartilagine xiphoideo* ventriculum premente, ſollicitante.

Cardialgia immedicabilis, ſubinde cum vomitu chronico conjuncta, provenit a vitio ipſius ventriculi organico, ſcirrho, cancro, qualem ante annum invenimus, duritie ventriculi cartilaginea, anguſtato pyloro &c.

SINGULTUS.

Aliquam affinitatem cum vomitu ſingultus alit, quare jam de hoc affectu tanto ſæpe motuum impetu ſtipato, agendum erit. Eſt autem ſingultus convulſio, œſophagum, ventriculum & diaphragma ſurſum alliciens, dum interim alia convulſio easdem partes, maxime diaphragma & ventriculum deorſum trahit. Verum enim vero dum ventriculi & œſophagi fibræ muſculoſæ convelluntur, a pharynge etiam propagari ſpasmus videtur ad vicinum laryngem. *Wepferus* putat, ſonitum in ſingultu non tam oriri a flatu per gulam emiſſo,

quam

quam ab aëre per aſperam arteriam eliſo, & in larynge fracto; mitigatur enim quandoque ſingultus, & omni modo ceſſat ab aëris retentione, ſeu voluntaria exſpirationis inhibitione. Ut convulſionem, ita & ſingultum a *repletione* aut *evacuatione* fieri ſcripſit *Hippocrates*. *Riverius* aliam quoque cauſſam addit, ſcilicet *irritationem*.

Ad haſce tres claſſes omnes cauſſas proximas referemus.

Ad repletionem itaque referimus ingurgitationem nimiam liquidorum varii generis, ingeſtionemque celerem & copioſam ciborum, talium maxime, quæ viribus digeſtionis obſequi renuunt. Dum hanc ſingultus ſpeciem conſideramus, ſilentio præterimus leviorem illum & tranſitorium, quemve *Hoffmannus* diæteticum appellat, & qui facile abigitur excitata ſternutatione, inſpiratione diutius protracta, dolore alicubi excitato, profunda cogitatione, terrore ex improviſo excitato. De illo ſaltem loquimur, qui ab eminentiore diætæ vitio producitur, & diutius affligit.

Pueri voraces furtim quandoque & avide quædam arripiat ingeruntque. Sed & adultis quandoque a mole & pondere aſſumptorum ſingultus evenit. In hoc caſu antea de vacuando ventriculo, quam de ſopienda convul-

vulſione cogitandum eſt. Vomitum moviſſe ſtatim convenit, non autem fortiori emetico, ſed quæ ſæpe ſufficiat, aqua tepida, oxymelle ſquillitico addito; item alvum duxiſſe interdum purgante congruo, vel clysmate paulo acriori gravantem ſarcinam deorſum invitaſſe. Dein etiam convenient aromatica ſic dicta ſtomachica, cum epithematibus aromaticis & ſpirituoſis. Vix vero hic quadrat anodynum, niſi ad conſopiendos motus ſuperſtites, ſublata materia nihilominus urgentes, aut ad componendos tumultus a dato vomitorio remanentes. Accedit interdum febribus intermittentibus ſingultus, etiam extra paroxysmum febrilem affligens, qui a materia primas vias occupante oritur, & per convenientem illarum purgationem abigitur. Succeſſiſſe eum febri, typumque febrilem obſervaſſe, obſervavit *Hoffmannus*, ob neglectum ſcilicet catharticorum uſum, & præmature exhibitum corticem, ſed eundem profligatum eſſe clysmatibus, manna, & rheo. Aliquando etiam in hominibus viſcerum atonia laborantibus, ventriculo lenta humorum colluvie ſcatente, ſubinde ſingultus oritur, uno tenore, vel per certas periodos, cum vomitu intercurrente, vel absque eodem affligens. Tales ſingultus curati leguntur attenuantibus, leniter pur-

gan-

gantibus, amaris, ſtomachicis, aquis minera-libus. Apud *Riverium* legitur hiſtoria puellæ integro anno ſingultu laborantis per intervalla unica doſi diagridii & mercurii dulcis perſanatæ.

Sequitur ſingultus ab inflammatione eryſipelacea, vel phlegmonode ventriculi, œſophagi, inteſtinorum, diaphragmatis, hepatis, aliorumque viſcerum abdominalium, ſive hæc ſit morbus princeps, ſive ſymptoma morbi alterius, febris ſcilicet acutæ continuæ ardentis, tamquam inflammationis univerſalis ſive ſimptoma febris *lyngodis* dictæ, aut etiam febris putridæ malignæ: ſive fiat a metaſtaſi.

Interdum tamen ſingultus eſt criticus, cum ſignis coctionis, vomitumque futurum indicat, aut diarrhœam.

Omnes hi ſingultus, qui dum febre ſtipantur, teſte *Alpino*, ſemper timendi ſunt, quosve *Hippocrates* toties mali ominis eſſe ajebat. Si curam admittunt, quod tamen raro contingit, curationem morbi inflammatorii deſiderant, methodumque antiphlogiſticam. Huc pertinet ſingultus, qui febribus malignis ſociatur, qui, niſi in principio a miasmate recens ſuſcepto pendent, diatheſin inflammatoriam in gangrænam jam inclinan-

tem,

tem, & circa ventriculum & diaphragma hærentem denotat, uti ex cadaverum ſectione toties conſtitit. Singultum in peſte obſervavit *Diemerbroek* ortum a carbone circa dictas partes hærente. Quod ſi ſuſceptum miasma humoribus noſtris miſtum jam ſit, requiritur methodus ipſi morbo principali conveniens. Quoties vero brevi antea ſanus homo graſſantibus febribus mali moris, ſubito, inter alia ſigna ſuſcepti miasmatis, ſingultu afficiatur, credibile eſt, virus hoc circa ventriculum, bilioſisque humoribus miſtum hærere, calida diaphoretica, alexipharmaca, theriacalia cane pejus & angue fugienda ſunt. Satius tunc erit, blandiſſima emeſi, venenum una cum humoribus, quibus inhæret, excutere, aut longiori licet via, ſi vomitus haud adeo tutus videatur, per alvum evertere, Huc faciunt manna, tamarindi, rheum, cremor tartari, hocque præſtito minus periculoſum erit totius morbi decurſus. At vero non æque facile auſcultat remediis ſingultus, qui febri malignæ in ſtatu jam conſtitutæ, confirmatæque ſupervenit. Nam ab inflammatione gangrænam jam minitante hunc ſingultum provenire certum eſt, hincque deſumenda pariter indicatio eſt.

Non

Non infrequens in praxi eſt *ſingultus ab excretionibus ſanguineis vel ſeroſis ſuppreſſis*, dum humores excernendi ad ventriculum & diaphragma regurgitant. Singultus apud fœminas a menſium irregulari fluxu, apud viros vero ab hæmorrhoidum ſuppreſſione obſervatur. Legitur de puella nondum menſtruante, quæ ſingulis menſibus per aliquot dies, nullo vitio diætetico, cui culpa tribui potuiſſet, commiſſo; per intervalla ſingultum patiebatur, veniente vero ſemel menſium ſatis regularium fluxu penitus ſilentem. His in caſibus juvant venæ ſectiones in pede, balnea, clyſmata, pediluvia, aquæ minerales, una cum iis, quæ ſpecifica virtute menſtrua aut hæmorrhoides movent. Princeps medela a reſtitutione ſuppreſſæ evacuationis pendet.

Tranſimus ad ſingultum *ab irritatione* provenientem, ubi primo loco occurrit cacochylia collecta in ventriculo & inteſtinis, non mole & pondere, ſed acrimonia præcipue peccans, ab ingeſtis jam per ſe acribus, vel mora & vitio digeſtionis in humorem acrem abiens. Hæc acrimonia ſive ſalſa fuerit, ſive acida, ſive biliosa, & alcalina, ſuis remediis contrariis opugnari debet. Sola aqua tepida copioſe hauſta enervandæ & diluendæ acrimoniæ ſubinde ſufficit. Ubi vero triplex hæc

acri-

acrimonia ab ingeſtis naſcitur, ita dum aucto motu circulatorio humores inquilini a blanda ſua temperie dehiſcunt, atque inter eos bilis in liquamen acre ac putridum convertitur, ſingultus oritur, qui notante *Tulpio*, minus periculi, quam terroris habet, oriturque ſpeciatim in declinatione febrium ab acri bile os ventriculi obſidente: atque hic eſt ille ſingultus criticus, qui vomitum aut diarrhœam inſecuturam cum bonis ægri rebus prænuntiat.

Ad cauſſas ſingultus ab irritatione etiam referendi ſunt *vermes in ventriculo & inteſtinis* hoſpitantes, qui curam anthelminticam alibi educendam ſibi vendicant.

Draſtica quoque *purgantia* & *vomitoria*, itemque *venena acria*, *cauſtica*, *corroſiva* ſingultum faciunt, atque hoc in caſu, quæ ſubtiles aculeos obtundunt, involvunt, & ſuperficiem internam ventriculi obliniunt, optima præſidia habentur, quorſum juſcula demulcentia, lac, emulſa, oleoſa omnia & mucilaginoſa pertinent. Quodſi medicamentum draſticum magnam vim humorum e corpore emunxerit, ſtudendum ſimul repletioni. Veneno ejecto, obtuſo, involuto, ſi nihilominus ſingultus, motusque alii convulſivi ſuperſtites maneat, anodynum propinatum effrœnes motus utiliter compeſcit.

Ali-

Aliquando ineſt toti humorum maſſæ *acrimonia tenuis* & *rodens* quæ ad ventriculum & diaphragma delata, ſingultum ciet, vel materia quædam circa præcordia hærens, antequam ad partes externas deponitur, aut ſi depoſita jam fuerit, denuo recedens, ſingultum producit, uti materia ſcorbutica, eryſipelacea, dyſenterica, arthritica, purpuracea, petechialis. Conſulendum hic eſt morbo principali & excretio congrua reſtituenda. *Diarrhææ* & *dyſenteriæ nimis cito opiatis cohibitæ* non raro ſupervenit ſingultus, ob acrem materiam intus retentam, qui evacuatione denuo reſtituta curatur. In *ſingultu a retropreſſo eryſipelate*, vel *anomala arthritide*, oportet loca externa, quæ materia retrocedendo deſeruit, topicis, emollientibus relaxare, dein rubefacientibus, & veſicantibus extrorſum allicere. *Singultus a ſcorbutica humorum intemperie* antiſcorbutica exigit. *Singultus iſchuriæ ſuperveniens* ab acri materia retenta, nervos diaphragmatis lædente, & plerumque cerebri functiones ſimul turbante, mortem jamjam inſtantem deſignat, nec nunquam curatur.

Interdum *dolor partium circa præcordia* ventriculum & diaphragma ſympathice afficit, & ſingultum producit. Quare hominibus co-

li-

lica, dyſenteria, volvulo, verminibus laborantibus, ſingultus non raro accidit, qui tamen nonniſi curato morbo primario curatur.

Obſervatur ſingultus *a ſola nervoſi ſyſtematis, nervorum potiſſimum phrenicorum & gaſtricorum mobilitate*, ſpirituumque ataxia, in hominibus debilibus, hypochondriacis, hyſtericis. Nil periculi tunc ſubeſt, curaturque excitata alibi ſenſatione prævalente, ſpiritusque naturales copioſius ad diaphragma & ventriculum recurrentes avocante: ſcilicet profunda cogitatione, ira ſubito mota, terrore inducto, dolore alicubi excitato, inſpiratione, ut obſervavit *Hippocrates*. Item nota volatilia, ſive ſuaveolentia, ſive graveolentia, moſchus, opium, & omnia ſic dicta antihyſterica. Cucurbitulæ ſiccæ ad ventriculum adplicatæ, linimenta, conſtrictio abdominis per vincula; carminativa. Singultus a vomitu nimium violento diuque durante, notante *Hippocrate* periculoſus admodum eſt, nullamque aliam curationem admittit, quam ipſe vomitus a quo dependet.

Sequitur *ſingultus cum febre intermittente complicatus*, non ille, qui a materia morboſa in ventriculo ſtabulante excitatur, de quo ſupra egimus, ſed de eo ſingultu, qui aut omnino abſente tali materia, aut jam ex-

 clu-

cluſa, tempore frigoris febrilis cum univerſali ſpasmo invadit, & a nervoſarum fibrarum criſpatione, quam in ambitu corporis ipſis ſenſibus uſurpamus, ventriculum & diaphragma afficiente oritur. Hæc ſingultus ſpecies anodyna penitus reſpuit, levatur vero potulentis calidis, convenientibus topicis, iisque omnibus, quæ frigori febrili minuendo dicata ſunt. Penitus vero curatur una cum febre per corticem peruvianum, & ſi ſublata jam febre ſingultus, uti aliquoties contingit, nihilominus perſiſteret, tunc notante *de Gorter*, continuato corticis uſu abigitur. Modo caveatur, ut primæ viæ repurgatæ ſint. *Sydenhamus* ſingultum notavit, qui ſub finem febris non intermittentis accedit, & per aliquot dies per intervalla affligit, a quo tamen nihil periculi ægro imminet. Si non ſponte ſatiſcat, illum cortice peruviano optime ſublatum vidit *Sydenhamus*.

Verum uti *febrile frigus ab internis cauſſis* pendens, ita quoque frigus æris externi incaute admiſſum, ſingultum aliquando producit. Nam perſpiratione ſuppreſſa humores nimium introrſum verſus ventriculum & diaphragma urgentur. Maxime autem frigus nocet, ſi offendat corpus ſudans æſtuansque. Tunc enim vel ſola deambulatio nudis pedibus

per

per pavimentum frigidum ſingultum ciere poteſt; idem fit a natatione & ſubmerſione in aqua frigida, ab aëre veſpertino tempore æſtivo, maxime autem ab aquilone rigido & tempore hyemali, a qua cauſſa natum ſingultum in puella 2 annorum apud *Riverium* legimus, tempore æſtivo ſilentem. Ab ingeſtis actu frigidis, e. g. a gelatinis, quas ex fructibus horæis parant, ac adjecta glacie, æſtivis caloribus devorant, a limonada gelida, cui refrigerans nitrum quidam adjiciunt. A laudabili alias, ſed nimis refrigerantium uſu, in febribus ſingultum notavit *Schenckius*.

Indicationes ſunt, 1) ſtricturam fibris inductam relaxare,

2) humorum determinationem juſtam a centro ad peripheriam denuo reſtituere. Binæ huic indicationi ſatisfacit regimen calidum externum, epithemata actu calida, vel calefacientia, potus tepidus, aromatica & volatilia blandiora nervis amica, quæ omnia ab authoribus commendata leguntur. Item balnea calida adjectis herbis aromaticis, aliis fruſtra adhibitis, notante *Riverio*, profuere. Profuit item hauſtus vini generoſi, theriaca, mithridatum.

Aliam irritationis ſpeciem præbet *luxatio, diſtorſio, & fractura coſtarum inferiorum,*

 aut

aut cartilaginis xiphoidis, quibus omnibus ventriculus premitur, & ad motus irregulares una cum diaphragmate ſollicitatur. *Fernelius* memorat ſingultum ex coſtæ apice intorto, & in ventriculum ſeſe infigente, eoque blande erecto protinus ceſſantem. Ubi cartilago xiphoidea luxata aut intropreſſa pylorum laceſſit, proſunt cucurbitæ ſiccæ ad ſcrobiculum cordis adplicatæ.

Alia ſingultus ſpecies eſt, ſi quacunque de cauſa *deterſus* fuerit *ventriculi mucus ille naturalis*, qui ejus tunicam villoſam oblinit, unde quæcunque fere ingeſta, imo ſola aqua, aut deglutitus aër incommoda cardialgica cum ſingultu ciet. Id frequentius contingit poſt purgantia & emetica draſtica aſſumpta, ubi non ipſa medicamentorum vi, durante eorum operatione, ſed diu poſtea, ob ablatum ventriculi mucum ſingultus producitur. Tum vero ſola blanda emulſa, oleoſa, mucilaginoſa, gelatinoſa conveniunt. Anodyna, non niſi urgente neceſſitate, vel interponi dictis medicamentis poſſunt, vel ſubjungi.

Sequitur ſingultus ab aphtis duplici ex ratione.

1. Dum aphthæ naſcentes cruſta ſua ſenſim obducunt orificium ventriculi ſuperius cum œſophago, vaſcula minutiſſima obſtruendo, &

& diducendo nervos ibi exiſtentes tendunt, & irritant. Hinc ubi ſingultus in febrium incremento & ſtatu prodeat, eas ex tali ſingultu mox in faucibus etiam comparituras ſagaces medici prædicunt. Uti vero aphthæ, quæ a ventriculo ſurſum per œſophagum in fauces & os aſcendunt, pejores ſunt, quam illæ, quæ primo in labiis & lingua comparent, ita etiam ſingultus, qui aſcendentibus aphtis debetur, peſſimi non raro ominis eſſe ſolet. Si curationem admittat pravum hoc ſymptoma, ea ſolummodo conſiſtit in relaxantibus & emollientibus, quæ lapſum cruſtæ facilem reddunt, & ſimul ſubjectis locis ſenſibiliſſimis blanda ſua indole parcunt. Oritur

2do. ſingultus a cruſtis aphtarum jam deciduis, ſumme moleſtus, & ab attactu omnium fere, quæ deglutiunt, exacerbantur. Indicantur demulcentes & oleoſi linctus; potus blandi, parce & ſæpe aſſumendi, talibus medicamentis additur, e.g. Syrup. pap. alb. vel de mecon; aut ſi opus videatur, dilutiſſimum parciori doſi opium, quod tamen minus dilutum acerbos potius dolores, inflammationesque excitaret. Si tali modo tractetur ſingultus ab aphtis oriundus, inque febrium declinatione eveniens, raro periculoſus obſervatur,

tur, ſed ſenſim ſilet, ægro reconvaleſcente. Talem obſervavit *Sydenhamus* ab aphthis, ſed ſub finem febris enatum. Si nec aphthæ, nec ſingultus ſponte faceſſat, facile fugari utrumque malum cortice peruviano *Sydenhamus* aſſerit, ſuperbibendo hanſtum lactis, ſerioque diſſuadet, ne medicus nimium ſedulus ſit in ſanando hoc per nimis multa remedia malo.

Ad irritationem quoque ſpectant cerebri læſiones, quæ propter par vagum ad ventriculum & diaphragma excurrens ſingultum excitare queunt & ſolent. Cerebrum autem lædunt contuſiones, & vulnera ejus atque meningum inflammationes, fracturæ cranii. Singultus ab his cauſſis excitatus curatur ea methodo, quæ primario capitis morbo ſpeciatim medetur. Univerſim tamen notandum, revellendos a capite humores eſſe tam in hoc morbo, quam & in omnibus aliis capitis malis ſine exceptione; qua in re magnum curationis arcanum latet. Hinc etiam patet narcotica, utpote quæ humores verſus caput copioſius determinant, in hac ſingultus ſpecie minime convenire.

Supereſt pus acre aut genitum in ventriculo prægreſſa febre inflammatoria, verumque hujus viſceris ulcus involvens, a quo ſi-

ne

ne phlegmone manifeſta prævia, ſingultus portentoſum *Riverius* habet, aut ex alia corporis parte reſorptum, & ad ventriculum ac diaphragma depoſitum. Pertinet huc ichor gangrænoſus & ſerum putridum a ſphacelo. Hinc ſive in ipſo ventriculo, diaphragmate, inteſtinisque ſphaceloſa corruptio hæreat, ſive aliud viſcus prægreſſa inflammatione occupaverit, ſingultus tunc oboriens mortem inſtantem denunciat. Id quod ſæpe ſæpius in hominibus ileo & dyſenteria jamjam in mortem abeunte laborantibus uſuvenit. Verum etiam ab externis partibus, reſorptum ſerum putridum & gangrænoſum atque ad ventriculum & diaphragma delatum ſingultum letalem excitat. Sic notante *Hippocrate* ſphacelus a calcanei contuſione & fractura femoris ac brachii enatus, ſingultuoſas febres concitavit, paucis diebus letales.

Reſtat adhuc ſingultus *ab inanitione*, cujus genuinam indolem autores non ſemper bene explicant. Oritur autem a quacunque evacuatione nimia qualicunque humorum, inde liquidorum pauperies generalis & inæqualis in organa illa, quorum convulſiva affectio ſingultum producit, liquidi nervoſi influxus.

Huc ergo pertinent, ſingultus a vomitu nimio, ab omnibus evacuationibus alvinis, diar-

rhœa

rhœa, dyſenteria, paſſione cœliaca, lienteria, ab omnibus hæmorrhagiis nimiis, ſive per cauſſas internas, ſive per vulnera enatis, a venere nimis culta &c. Ejusmodi ſingultus admodum periculoſi eſſe ſolent. Summa eapropter arte in cura opus eſt & præcipue replentibus, quæ ſuccos deperditos reſtituant; ſimul vero excretio illa, quæ tantam evacuationem effecit, ſiſtenda eſt, ſi illa adhuc duret. Quodſi talis excretio ſit, ubi e. g. alvina, item per vomitum, quæ opiatis obediat, opium una cum replentibus exhiberi debet. Notavit *Sydenhamus* ſingultum ſenibus plerumque accidere poſt copioſas evacuationes, vel per ſeceſſum ex diarrhœa, vel maxime per vomitiones, atque tum fere mortem præ foribus eſſe. Aetiologiam ſe hujus mali neſcire fatetur, attamen eo in caſu valde proficuum deprehendiſſe diaſcordium largius exhibitum,

De *habituali* & *chronico ſingultu*, vitia nervorum diuturna, & malam conformationem partium, earumque indurationem pro cauſſa habente, multa dicere nil attinet, nam miſera ſolum palliatio ab anodynis petita plerumque ſupereſt.

Antequam autem hoc argumentum relinquamus, notandum venit, ſi vehementiſſi-

ſimus ſit ſingultus, ita, ut ægri vires ſubito proſternat, aut ſi metus ſit, ne malum gravius ſuccedat, convulſiones ſcilicet univerſales, neceſſe eſſe, ut omnium primo ad opium confugiatur, antequam de oppugnanda cauſſa cogitetur, niſi cauſa hæc ejus naturæ ſit, ut ab opiatis potius exaſperetur. Si vero hæc ita ſit conſtituta, ut ſtatim, atque ſine temporis diſpendio amoveri poſſit, præcipua cura, primaque amotioni ejus deſtinari debet.

VOMITUS.

Vomitus convulſione œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, diaphragmatis, & muſculorum abdominis præcipue abſolvitur.

Ejus naturam optime expoſuit Cl. *Morgenbeſſer* in diſſertatione de vomitu, quæ in collectione diſſertationum *Halleriana* continetur. Ut medelam ejus mali accuratius tradamus, juvat ſingulas ejus ſpecies exponere, & accomodatam cuilibet ſpeciei medendi methodum ſubjungere.

1) Vomitus *ſpecies* eſt illa, *cujus cauſſa hæret in cavo ventriculi vel duodeni*, quæve vel *mole*, vel *acrimonia* nervos vellicat. Huc ſpe-

ſpectant ingeſta, alimenta & potulenta, quantitate vel qualitate nociva; *cacochylia* ex iisdem per moram & degenerationem nata, eaque vel *viſcida* vel *bilioſa*, *putris*, *alcalina*; vel *acida*. Huc revocari debent emetica & purgantia draſtica, hyperemeſin vel hypercatharſin excitantia. Tandem & *venena*, uti arſenicum, mercurius ſublimatus corroſivus. Quodſi vomitus ab heſternæ comeſtionis reliquiis oriatur, nemo non videt, eundem promoveri debere ſumpta aqua tepida, vel potu Thee, quo facilius gravans ſarcina excutiatur. Hujusmodi vomitus exonerato ventriculo fere ſponte conquieſcit. Si tamen inanes vomitus conatus etiam poſtea perſeverarent, grato quodam & roborante medicamento facile malum hoc coërcetur. Præparata ex mentha, meliſſa, cortex aurantiorum, olea ſtillatitia, vinum tockainum, hic optime refocillant, roborantque. Si vero per repetita diætæ peccata cacochylia nata eadem ſit, præcipue ſi ea viſcida lentaque fuerit, danda erunt ſalina, incidentia, ut facilius præparata materia rejiciatur, viresque interim ſuſtententur. Juvat & clysmate paulo acriori partem deorſum invitare, ut & ano & ore ſaburra eliminetur. Oxymel ſquilliticum addito ſale quodam utilem choleram

ex-

excitat. Excuſſa mole roborandus ventriculus & inteſtina ſunt. Si quando non iners pituita, ſed cacochylia nidoroſa, rancida, bilioſa, putris, alcalina in duodeno & ventriculo ſtabulatur, atque cum amarore oris ructibus olidis, ac nauſea vomitiones cieat, diluentia, acida, ſubſalſa, acida auſtera, ſapones acidi, purgantia acida, & ſubacida pulchre proſunt. Si acida colluvies, vitrioli ſubinde ſaporem ori imprimens, colore viridi, nigrove vomitu rejiciatur, juvabunt antacida, abſorbentia, amara alcalina, ſapones alcalini, & quando ſimul roborantia indicantur, cortex peruvianus, & ferri ſcobs, qua *Riverius* ruſticum miram quotidie quantitatem materiæ vireſcentis vomentem, ſervatum refert.

In omni vomitu id probe tenendum, liberam ſemper ſervari alvum debere. Hinc clysmata in omni vomitu ſemper aliquid boni præſtant, materiam peccantem ad naturalem ſuam viam, qua eliminanda eſt, ablegando.

Recenſitis vomitionum cauſſis applicari proprie illa regula practica *Hippocratis* debet *vomitum ſcilicet vomitu curari debere.* Licet in aliis caſibus, aut non valeat, aut ſaltem limitanda ſit, tamen tunc certa eſt, ubi

caus-

cauſſa vomitus in ventriculo fluctuans, commode & breviori per œſophagum via, quam per anfractus inteſtinorum ejici poteſt; dummodo ventriculus nullo ſui ipſius vitio laboret, nihilque aliud adſit, quod vomitum contraindicaret. Huc recenſeri debet vomitus ille matutinus, qui quotidie mane ob cruditates in debili laxoque ventriculo per habitum collectas, revertitur, quive ſæpe commeſſationibus in ſeram noctem productis debetur. Debita diæta, & cœna levis, cum ſtomachicis, aromaticis, & amaris maximam opem fert. Sæpe vero opus eſt, ut quisquiliæ acidæ viſcidæque potu aquarum egranarum, aut carolinarum everrantur. Bene notandum, opiata in vomitu a dictis cauſſis exorto peſſima futura, cum & ventriculi vires opium dejiciat, & utili naturæ conatui manum injiciat, vomitumque ſiſtendo, & alvum claudendo, mali fomitem retineat.

Sequitur vomitus a venenis acribus & corroſivis, item ab emeticis & purgantibus inſtar veneni agentibus, ſi nimia doſi, aut tempore non ſuo exhibeantur. Venena acria, medicamenta draſtica ſpasmos & convulſiones cient, unde inflammatio naſcitur. In hoc caſu tria hæc obſervari debent; ſcilicet ut

1) irritans acrimonia removeatur.

2) Si hoc tam cito fieri nequeat, ut eam ſaltem obtundat, involvat, enervet.

3) Ut remoto ſtimulo acri ſuperſtites ſpasmi convulſionesque ſopiantur.

Hinc conveniunt tepida aquoſa, lac vel naturale vel amygdalinum, aqua mellita, jura pingua, oleum, butyrum. Quodſi ſolum motuum impetus, ejecto jam veneno, ſuperſtes ſit, opium indicatur. Uti etiam tunc, quando tam enormis ſpasmi, convulſionesque adſunt, ut citius ab iis mors metuenda ſit, quam acre venenum eliminari aut obtundi poſſit. At in his circumſtantiis opiato medicamento jungi reliqua debent, quæ morbi cauſſa exigit.

Accedimus ad *vomitum a tenui acrimonia, materia in humorum maſſa hærente* & verſus exteriora ableganda, circa ventriculum vero moras nectente; aut quæ ab exterioribus partibus prava metaſtaſi ad ventriculi tunicas repulſa eſt, aut quæ ex aëre in ventriculum per deglutitionem pervenit. Huc ſpectat vomitus a variolis & morbillis iminentibus. Item vomitus febrium quarumdam, uti malignarum & epidemicarum, ac etiam dyſenteriarum, vomitus ab arthritide aut podagra retropreſſa; ab eryſipelate, ſcabie,

pur-

purpura retropreſſis aut retrocedentibus; ab ulceribus chronicis conſolidatis. Vomitum in variolis & morbillis ſola methodus ipſi morbo principali conveniens, & regimen perſpirationi favens mitigat, donec prodeuntibus exanthematibus ſponte ceſſat, Si hoc non fiat, verendum eſt, ne puſtulæ varioloſæ ipſum ventriculum obſideant, quibus ſola blandiſſima & emollientiſſima remedia conveniunt. Vomitum, qui in febribus acutis & putridis in earumdem præcipue initio, ſubinde & progreſſu, a materia acri & ſubtili oritur, ſæpeque conjuncta eſt cum immani dyſenteria, methodus diluens, involvens, obtundens per decocta, enemataque juxta modum Cl. de *Haen*, ſæpe ſufficit. Interea tamen non deſunt practici celeberrimi, qui nauſeæ, vomituritioni, ipſique vomitui in principio ſebrium malignarum miasma pituitæ & bili imiſtum, antequam ex integro in maſſam humorum tranſeat, cito excutiendum datis emeticis arbitrantur: Emetica hæc debere eſſe blandiora, e. g. ex oxymelle ſquillitico, ipecacuanha, aut leviori tartari emetici doſi, cum manna. Præterea talia vomitoria, in primo morbi exordio, ſi anxietas conſtrictio præcordiorum, lingua ſordida, nauſea, & vomituritio adſint, cum multo potu tepido

di-

diluente debere propinari. Inſuper notandum, emetica locum non habere, ſi febris ſedem jam fixerit, & vomitus ſymptomaticus accedat. Multo minus emetica prodeſunt, quando, ſive in principio, ſive in decurſu febris, vehementiſſimi & copioſiſſimi vomitus urgeant. a ſola tenui acrimonia ventriculum vellicante. Ibique methodus involvens *Hæniana* inſigniter prodeſt, datis quin imo, ſi vomitus enormiter urgeat, ad faciendas inducias, opiatis. Febre jam invaleſcente & morbo confirmato in malignis & petechialibus eveniens vomitus, ſemper denotat diatheſin ventriculi inflammatoriam; cavendum, ſummopere tunc eſt, monente *Hoffmanno*, ab exhibendo quocunque, etiam leniori emetico. Attamen in caſu ventriculi inflammati nec opiata, utpote ipſamet inflammantia, conveniunt. In vomitua materia arthritica retrocedente oriundo, in corpore præcipue imbecilli, frictiones, pediluvia, pulveres camphorati & liquor anodinus ab *Hoffmanno* laudatur. Opiata, ut quæ & vomitum hic inutilem ſiſtunt, & exigua diaphoretica, materiam arthriticam verſus exteriora ablegat, magno cum fructu exhibentur. At vero cataplasma emolliens inſperſo cantharidum pulvere pedi antea podagrico adpoſitum, cu-

cur-

curbitæ tam ſiccæ, quam & ſcarificatæ ad locum antea affectum, materiam arthriticam, una cum aliis indicatis, potenter ad exteriora evocabit.

Sequitur *vomitus a vaſis, quæ per tunicas ventriculi excurrunt, ſanguinem coacervatum habentibus, nimis oppletis, diſtentis, varicoſis, aneurismaticis, obſtructis, ſpasmo conſtrictis & inflammatis.* Opplentur, diducunturque hæc vaſa, fiuntque varicoſa a ſanguine hæmorrhoidali exitum affectante, aut quacunque ex cauſſa ſuppreſſo, & verſus vaſa ventriculi regurgitante. In fœminis menſes emanentes, ſuppreſſi, aut ob graviditatem non fluentes, aut lochiis non procedentibus ſanguinem hunc retentum verſus vaſa ventriculi conſtringuntur, intercipiturque liber ſanguinis per ea tranſitus frigore, ingeſtis conſtringentibus, ſpasmo undecunque orto. Ubi vomitus provenerit a ſuppreſſione evacuationis cujusdam ſanguineæ, hæmorrhoidalis vel uterinæ, ubique locorum genuina indicatio eſt, hanc evacuationem denuo reſtituere, excepto caſu graviditatis, vel provectioris ætatis in fœminis. Cum vero durante naturali vomitu ea præſcribi medicamenta non poſſint, quæ aut menſtruum aut hæmorrhoidalem ſanguinem reſtituant, magis convenient venæ ſe-

ctio

ctio in pede, clysmata emollientia, fotus ejusmodi, inſeſſus, diluentia, ſaponacea & nitroſa, ſanguinem ad loca debita invitando, coacervatumque in vaſis ventriculi revellendo, attenuando, iisque onere ſublato ſuam ſyſtolen reſtituendo. Acida vegetabilia ventriculo gratiſſima ſunt, ſimulque cauſſæ reſpondent. Conſopito autem ad tempus vomitu ſpecifica remedia ſanguinem ad loca hæmorrhoidalia, vel uterum determinantia in uſum trahi debent.

Venimus ad vaſa ventriculi maxime in ſucciplenis & plethoricis conſtricta a ſpasmo, qui ſubinde oritur a potu frigidæ poſt corporis exæſtuationem liberaliter hauſtæ. Hoc in caſu multum valet opium, ſi ſpasmus a frigore vomitum cieat, cujus exemplum notabilem legere eſt apud *Hoffmannum*. Applicanda ſunt relaxantia clysmata, danda grata ſaponacea, acida cum diluentibus & nitro, exterius vero adplicanda topica calida, cum acido vegetabili, aceto &c.; ubi interponi aliquod opiatum poteſt, ſi conatus vomendi nimis urgeant. Supereſt vera inflammatio ventriculi, cum vomitu perpetuo & dolore enormi. Sæpe vomitus & ſpasmi inflammationem præcedunt, eamque demum diutius durantes invitant. Hinc narcoticum tempeſtive & an-

te natam jam inflammationem porrectum eandem pulchre præoccupat; quamquam inflammatione jam nata opiata nequaquam conveniant.

Proſunt in graviſſimo hoc morbo venæ ſectiones ſæpius repetitæ, potus antiphlogiſtici, ſed leniſſimi, emollientiſſimi, demulcentiſſimi, ſumopere cavendum ab omni acri. Nitrum licet antiphlogiſticum, nihilominus tamen, cum aliquo ſaltem ſtimulo præditum ſit, atque partem inflammatam immediate contingat, cautiſſime propinari debet, atque ex conſilio *Baronis v. Swieten* nonniſi ad gr. X. vel XII. in libra una juſculi ex pullo parati. Opium ad compèſcendos vomitus ab inflammatione ortos damnant fere omnes, cum vi ſua acri urenteque locum inflammatum peſſime afficeret. Commemorari modo is vomitus debet, qui ſine materia a ſolo inordinato ſpirituum motu oritur, ubi nervorum ſyſtema nimis fuerit irritabile, mobileque.

Huc pertinet vomitus hyſtericarum, virorum hypochondriacorum, nervis debilibus præditorum, navi curruque, ſi retrogradi ſedeant, vectorum, item hominum animi pathemate agitatorum.

Notandum eſt, hanc vomitus ſpeciem quæ a ſola ſcilicet ſpirituum ataxia naſcitur,

ver-

vertiginem fere ſemper antecedere, aut ſaltem comitari, item tremorem, ſpasmum, urinam limpidam. Remedia hic indicata, ſunt quies, aqua frigida, auſtera, tandem ut fibræ laxæ & debiles firmentur, atque omnis diſpoſitio ad hunc vomitum tollatur, corroborantia uſurpanda erunt. Ii, qui retrogradi curru vehi non poſſunt, facile ferunt, & aſſueſiunt tandem, ſi quadrante horæ antequam currum conſcendant, pilulam opiatam deglutiant, eidemque ſuperbibant cochlearia aquæ cinamomi. Aliis in caſibus hauſtus vini gallici rubri, vel larga quantitas tincturæ martis in aqua quadam aromatica aſſumpta, profuit.

Vomitus ille *imaginatorius*, qui viſu audituque rerum quarundam ingratarum excitatur, quemve *Boerhaavius* oblivione & evitatione hujusmodi rerum ingratarum curandum aſſerit, ſi is nimium urgeat, opiata ſibi depoſcit.

A ſubitaneo terrore ſi natus fuerit *vomitus*, opium cardiacum aliis junctis cardiacis egregios effectus præſtat.

De *vomitu ab iracunda* animi commotione, & turbis ſpirituum inde natis, ſciendum eſt, non ſolum nervos univerſaliter ab ira afſici, ſed etiam ſpeciatim in ductus nervoſos

biliarios agere, ut hi ſpasmo & convulſione affecti bilem copioſius exprimant, quæ etiam tunc eminentiori acrimonia prædita eſſe deprehenditur. Atque hæc eſt ratio, cur in ejusmodi vomitu ab ira, qui in bilioſum vomitum ipſo animi affectu degenerat, blandiora acida, uti ſuccus citri cum aqua frigidiuſcula, & pauco ſaccharo, aſſumpta, item phlegma vitrioli, & ſpiritus acidi dulcificati adeo pulchre proſint; interdum etiam hæc acida, bilioſæ acrimoniæ antitoda, curam harum non abſolvunt, ſed opus eſt, ut bilis effuſa e corpore ejiciatur, quod cremore tartari, & rheo optime perficitur. Patet opiata hic non convenire.

Aliquando etiam *vomitiones* ſuſcitantur *a mærore*, eodemque diutius protracto. Hæ tamen non adeo bene anodynis impugnatur, maxime ſi in habitum abierit; nam mœror jam per ſe vires ventriculi dejicit, & appetitum deſtruit; quare amara, aromatica, roborantia cum hauſtu vini generoſioris magis indicantur. *Hoffmannus* merito balſamum ſuum vitæ cum liquore anodyno, balſamum embryonum, & aquam cinamomi commendat.

In genere notandum eſt, *homines debili laxaque compage* præditos, in eam *vomitus* ſpeciem procliviores eſſe ceteris, quæ a ſola

la

la ſprituum anomalia oritur. Curantur ſpirituoſis, gratis aromaticis & corroborantibus. Novimus etiam in hoc *vomitu* ab *inordinato* ſcilicet *liquidi nervoſi motu*, ante emeticum Riverianum ex ſale abſynthii & ſucco limonum valde laudari, ſi in ipſo efferveſcentiæ actu hauriatur, etiam in eo caſu, ubi opiata nil profuere; ſcilicet dum efferveſcentia perdurat in ventriculo per eam, uti rem explicat *Bar. v. Swieten*, mirus ſtimulus ejus nervis inducitur, quo ſpasmi & convulſiones feliciter tolluntur. Agit ergo hocce remedium non emolliendo aut corrigendo materiam in ventriculo & inteſtinis hærentem, ſed tantummodo mutando liquidi nervoſi impetum in haſce partes. Facile autem patet, actionem hujus remedii ceſſare, ſimulac efferveſcentia ceſſaverit, tuncque agere eo ſolummodo, quo alia ſalia media ſolent. Sumitur ſcrup. j ſalis abſynthii non ſulphurati, & cochleare unum ſucci limonum.

Supereſt, ut eximios uſus remediorum topicorum ſilentio non prætereamus in eo vomitu, qui ſolis ſpirituum turbis debetur. Varii varia adplicant: e. g. Emplaſtrum ex emplaſtro de galbano crocato, oxycroceo, aut diabotan; oleo nucis moſchato preſſo, camphora, balſamo peruviano, aut ex theriaca

An-

Andromachi. Pulvis nucis myriſtic. vel macis &c. vel cataplasma ex fermento panis, vino generoſo, aceto & ſpiritu vini camphorato, cum pulvere aliquo aromatico,

Devolvimur ad vomitum nervis ventriculi ob conſenſum affectis, per alias partes, morbo ſuo proprio laborantes, ſcilicet ſpasmo, convulſione, dolore, vulnere, inflammatione, obſtructione, induratione. Huc ſpectat

1) inteſtinorum tenſio a flatibus, dolor a colica, ileo, cholera, eorum inflammatio exulceratio, induratio, ſcirrhus, hernia incarcerata, obſtructio a fœcibus induratis, irritatio a vermibus.

2) Morbi hepatis, ejus obſtructio, inflammatio, ſcirrhus, vomica, exulceratio, veſiculæ felleæ turgor, a collecta bile, a calculis; & ductum biliariorum ſpasmodica affectio.

3) Morbi lienis, pancreatis, meſenterii.

4) Diaphragma convulſum in tuſſi, vel inflammatum in paraphrenitide.

5) Ureteres a calculo tranſitum moliente irritati.

6) Morbi capitis a dolore, concuſſione, contuſione, compreſſione, vulnere, inflammatione pendentes.

7)

7) Spasmus univerſalis in febribus intermittentibus. Facile clarum eſt in omnibus his caſibus vomitum non niſi ſympathicum esſe, & morbum principem, a quo vomitus pendet, ſanari debere. Flatus, colica, ileus, dyſenteria, cholera, inteſtinorum inflammatio, ſpasmi ductuum biliferorum, aut ureterum, tuſſis, narcoticum pulchre ferunt, ſi id aliis pharmacis adjungatur, vel ſubjungatur.

Morbi reliqui capitis, præcipue ejus inflammationes, febresque narcoticorum exhibitione exaſperantur.

In *vomitu ab Herniis* conſuli ea debent, quæ de herniis dicturi ſumus. Si vero ſit hernia ventriculi, adplicandæ erunt faſciæ, & emplaſtra tenacia, ut repoſitus ventriculus in debito ſitu retineatur. Monuit Magnificus *de Haen*, ut apud fœminas intempeſtive pudicas, in vomitu, cujus cauſſæ non ſtatim adparent, ſæpius & ſerio cogitemus de latente ſors hernia.

De *vomitu in gravidis* ſpeciatim quædam dicenda ſunt. Sermo hic non eſt, de levi illa nauſea, aut etiam vomitu, quam altero ſæpe poſt conceptionem die jam experiuntur, tanquam certum impprægnationis perfectæ ſignum; ſed loquimur de vomitu graviore, diutur-

turniore, abortum minitante per longum, aut etiam per totum graviditatis tempus durante, fœminamque valde debilitante. Tunc autem optime convenit pulvis corticis peruviani, cum lapide cancrorum & caſtoreo, ſimul ad regionem ventriculi emplaſtrum aliquod appropriatum, & opiatum adplicatur. Fors eſt a mutata circulatione, fors a plethora ventriculi. Verum primis a conceptione diebus explicatio hæc non ſufficit; fors autem a reſorpto ſemine.

Silentio prætereundus non eſt vomitus a vitio in ſolidis ventriculi circa pylorum hærente, ſcilicet ſuppuratione, ulcere, ſcirrho, callo, cartilagine, de quibus numeroſæ apud obſervatores hiſtoriæ reperiuntur. *Cl. Hoffmannus* hunc quaſi canonem ſtatuit, quod qui diu, maxime ab aſſumptis epulis, vomuerunt, pylorum habeant, male conſtitutum. Hoc in caſu ſeponenda ſunt omnia alimenta ſolida, ſolaque adhibenda juſcula carnium, avenacea, lac, ſchocolada, ſæpe per diem, ſed parciſſime ſorbillanda.

Poſt conſideratas varias vomituum ſpecies, reſtat adhuc *vomitus criticus*, qui naturam evacuando ſe ipſum, alioſque inſuper morbos ſolvit.

Ce-

Ceterum de omni vomitu notandum, eum non diu ſibi relinquendum eſſe in hominibus herniofis aut phthiſi vel hœmoptoë vel aſthmate laborantibus, item anguſto pectore præditis, exhauſtis per morbos prægreſſos. In iis caſibus, ubi opium ad compeſcendum vomitum dari debet, ut morbus principalis cohibito vomitu curari queat, placet illud ſtratagema practicum, ubi opium ingeritur, duranteque ejus adhuc actione & quieſcente ventriculo, alia interim adhibentur, expugnando morbo principi apta.

Wedelius ait, opiata ſi eorum indicatio ſit, maxime pilulari forma adhiberi debere, ut vomitum ſiſtant. Attamen ſunt, qui opium hac ratione exhibitum pariter vomitu rejiciunt; his forma liquida præeligenda, qua ſæpe feliciter malum ſiſtitur, cum medicamentum forma liquida exhibitum majorem ventriculi ſuperficiem contingat, & citius atque efficacius agat.

COLICA.

Colica, dolor colicus, ſi vim nominis ſpectes, morbus eſt inteſtini coli. Verum omnis omnino dolor inteſtinorum quorumcun-

que

que dicitur *colicus*. Totus tubus fibris muſcularibus, & nerveis maximam partem componitur, ſumme ſenſibilibus. Vocari poſſet hic inteſtinorum tractus, muſculus cavus, etſi fibræ muſcularis rubore caret. Is enim rubor a ſanguine ſolum eſt, non pertinet ad muſculi ſubſtantiam.

Colica *difficilis*, & *anceps* morbus eſt 1) quia *eadem* ſenſatio dolorifica a diverſiſſima, quin & oppoſita cauſſa ſubinde provenit, hinc *colicarum diagnoſis* difficillima eſt, hinc ex difficultate diagnoſeos pendet cura, æque difficilis, anceps, & periculoſa.

2) Quia colicæ quædam *pernicioſiſſimæ* ſunt, *cito* & *certo* occidunt, etſi *mites* eſſe videantur.

3) Quia quædam ſpecies utut maxime dolorificæ, impunius nihilominus feruntur, & p r ſeptimanas, & menſes, quin occidant.

Varias colicarum diviſiones faciunt. Optima eſt, quæ a cauſſarum differentia petitur. Quidam colicas dividunt, in illas, quarum cauſſæ in ipſo inteſtini cavo reſident, ſecundo in illas, quæ cauſſam habent repoſitam non in cavo, ſed ipſa inteſtinorum ſubſtantia, tertio, in eas, quæ alibi reſidentes cauſſas agnoſcunt, easque extra cavum, vel ſubſtantiam inteſtinalem. Nos cauſſas perſequemur,

tot-

totque colicarum differentes ſpecies ſtatuemus, quotquot nobis ſpecie diverſæ cauſſæ occurrent. Sit ergo:

1) *Colica ſtercorea*, Oritur autem a materia alimentari, quæ aut ſua *qualitate*, aut *quantitate* dolores colicos excitat. Huc diverſiſſimis morbis, inſignitæ colicæ reduci poſſunt, e. g. colica ſimpliciter ſtercorea, a duris congeſtis fœcibus, in hominibus ſtricti temperamenti, atrabilarii, multum ſudantibus, *ſutoribus*, ſartoribus, duro comedentibus. Huc pertinet *colica gravidarum* ultimis menſibus, quæ enim primis a conceptione diebus eſt, oritur a immoderato ſpirituum motu; tertio quartove menſe ſæpe a ſanguine menſtruo coacervato, & abortum minatur. Huc etiam *colicæ* pleræque infantum *recens natorum* a meconio, deinde a lacte nutricis nimis craſſo, aceſcente, a pulte male ingeſta. Huc quoque colica earum fœminarum, quæ *ſæpius* peperunt. Hæc inteſtina inæqualis capacitatis habent, ita ut inteſtinum hinc inde valde ſit dilatatum, alibi vero conſtrictum. *Sedes* maxime colon, præcipue uterque *flexus*. Hæc diverticula ſæpe *tactu* explorari poſſunt, referuntque totidem quaſi *farcimina*: mentiuntur ſcirrhos.

Cu-

Cura alia eſt *palliativa*, alia *curativa*. Curativa auffert cauſſas, reſerat tubum inteſtinalem, 1 enematibus, 2 purgationibus, non quibuscunque, ſed primo ſalinis, leniſſimis ſolventibus, crebro per epicraſin, in multo vehiculo datis. Sal amarus, Glauberianus &c. Manna ſola vix ſufficit; rheum, tamarindi, ſenna minus conveniunt. Minime vero reſinoſa. Dolores interea ſopiunt ſimulque ſpasmos leniunt, phlogoſin præcavent, balnea tepida, ſemicupia, vel fomenta calida emollientia totius abdominis.

Nervina aut nocent aut nihil juvant. Opium nocentiſſimam eſt.

Cura confirmatoria amaris, equitatione, diæta accomodata.

Quid de venæ ſectione? nota, hanc *per ſe* non convenire, attamen ubi dolor *gravis*, *diuturnus*, æger *maſculus*, *adultus* fuerit, venæ ſectio criſpatas fibras momento relaxat, & ad *emollientia* remedia pertinet; *præverti* inflammatio poteſt; tutius erit purgans.

2) *Colica flatulenta*: cave, ne communem errorem practicum committas, & colicam flatulentam dicas, quæ talis appellari non meretur. Erit *error* valde *practicus*. Dabis enim *carminantia*, calida, ſpirituoſa, ob ſeductricem hanc ideam colicæ flatulentæ. *Boer-*

haa-

haavius in ſuis aphoriſmis peculiariter monuit contra abuſum *carminantium*. En, cur ſæpe colicam mere flatulentam dicamus, quia ſcilicet *omnis colica a quacunque cauſſa orta* borborygmis & flatibus ſtipatur.

Dicimus autem *colicam flatulentam* non eam, quam flatus comitantur, ſed quam multus, elaſticus, rarefactus, ſubito ſeſe evolvens aër concitat, aut *aëriformis* materies. Res in exemplo patebit. Aſſumuntur e. g. fructus horæi, præcipue poſt paſtum, item eorum ſucci, muſtum, eæque res, quæ multum in ſe aëris contineant, qui loco humido calidoque evolvitur; præcipue ſucci hi vegetabiles fermenteſcere incipient, aërea hæc materies diſtrahendo, vellicando &c. inteſtina laceſſit, doloremque *ac colicam* vere flatulentam, a flatu videlicet ortam excitabit. In hac ſpecie colicæ proderunt ea, quæ aut fermentationem cohibent, aut aëri collecto exitus liberos conciliant, uti ſunt *carminantia*, olea videlicet ſtillatitia, & elæoſachara, aquæ *ſtillatitiæ* aromaticæ, ſemina aromatica, ſpirituoſa. Liquor anod. mineral. Hoffmann. acida mineralia dulcificata.

3) *Bilioſa colica*; tranſimus ad *colicam bilioſam*, cujus diverſam faciem diverſimode deſcri-

ſcriptam invenimus. Data opera *Sydenhamus* deſcripſit ſequenti ratione: colicam bilioſam eadem ſymptomata præcedunt ſæpe, quæ dyſenteriam, atque eodem cum dyſenteria tempore epidemice graſſatur. Nonnunquam deſinit dyſenteria in colicam hinc. Ubi autem nulla prægreſſa dyſenteria invadit, plerumque a febre oritur, quæ in colicam elapſis paucis horis terminatur. Adoritur plerumque juvenes, temperamento calido bilioſoque præditos, præſertim æſtate. Dolor atrociſſimus omnium, & maxime intolerabilis. Inteſtina nonnunquam quaſi faſcia conſtringit, nunc vero in punctum contractus, quaſi terebello perforat. Subinde remittitur dolor, at qui mox recrudeſcit, quem æger præſentiens miſerabili vultu ejulatuque quaſi jam præhentem exhorret. Dolor in initio morbi minus certum ſibi punctum ſeligit, ac poſtmodum in morbi progreſſu. Neque tam crebra eſt vomitio, nec alvus ad carthartica adeo pertinax. Dolor quo magis augetur, eo magis obſtinatus in puncto figitur. Sæpe aucta identidem vomituritione, alvoque magis adſtricta, in paſſionem illiacam abit. Materies vomitu rejecta, viridis aliquando eſt, aut flava, aut inſoliti coloris.

Cauſ=

Cauſſa, bilis acris, rancida, cauſtica, in duodeno diutius ſtabulans, per æſtivos calores, aut quacunque ex cauſſa copioſius ſecreta, copioſiusque per ſuos ductus effuſa, membranasque inteſtinales ſumme ſenſibiles, arrodens, vellicans. Ergo morbus affinis eſt choleræ.

Indicationes ſunt

1) materiam peccantem ſolvere obtundere, eliminare.

2) Debilitata viſcera roborare.

Hinc conveniunt ſerum lactis, acida ſolventia, item ſalita aqua diluta, clysmata oleoſa, mannata, rhabarbarina. Quodſi dolores adeo increverint, ut majora inde mala metuantur, opiata inducias dabunt, attamen ſemper meminiſſe oportet, opium evacuationem alvinam adeo hic neceſſariam ſupprimere. Præmiſſis ſolventibus leniora evacuantia ſubjungi debent. Uſus vero evacuantium narcoticis interpolari in graviori dolorum aſſultu debet. Factis ſufficienter, evacuationibus inter continuam catharticorum & narcoticorum alternationem, tonus inteſtinorum debilitatus, roborantibus reſtituti debet.

Alia itidem *ſpecies biliosa* eſt, quæ non *epidemice* uti prior, ſed ſporadice invadit, omnium tempeſtatum dici poteſt. Huic præpri-

primis obnoxii ſunt, quoties aut pinguia, multum carnis, aut cremorem lactis cum acrioribus aromatis comedunt. Quibusdam a ſolo lacte, butyro hæc colica excitatur. Cauſſa fere eadem, quæ ſuperius. Pulſus admodum celer, ſed non durus, abdomen non tenſum, neque ad attactum calet; lingua non rubra, ſed flava, os amarum, ſubinde adeſt & vomitus & diarrhœa. Caput vertiginoſum. Solventia ex radice graminis, ſero lactis, cremore tartari, demum purgantia leniora ex rheo & manna, ac tandem roborantia omnem abſolvunt paginam. Venæ ſectio per ſe non indicatur, attamen ſi corpus plethoricum, aut dolor admodum atrox fuerit, juvat ſanguinem mittere, ut inflammatio inteſtinorum præcaveatur.

Alia præterea adhuc ſpecies *colicæ bilioſæ* datur, a calculo veſicæ felleæ oriundæ, calculi enim ductum choledochum obſtruentes excitant horrendas anxietates, convulſionesque in abdomine. Poſt hæc mala ſubito ſequitur quies, ſucceditque icterus cum urina intenſe slilioſa, poſt aliquod tempus evaneſcens. Denuo vero redeuntibus poſt inſidas inducias anxietatibus & doloribus, cum ſubſequente ictero, idque alternis ſemper vicibus, donec ægri tabe conſumpti moriantur.

Hæc

Hæc colicæ bilioſæ ſpecies idem morbus eſt cum *Phthiſi icteritia* ſeu hepatica *Mortoni*, atque ab *Hoffmanno* graphice peculiari capite de doloribus & ſpasmis a calculo felleo ortis, item a *Boerhaavio* & *van Swieten* deſcribitur.

Cauſſa ergo eſt calculus obſtruens, tendens, & lancinans ductum nervoſum cyſticum, vel & choledochum, bilis liberum effluxum intercipiens. Equidem & bilis ipſa in itinere ſuo impedita, ſenſimque eapropter coacervata ſimul, ſæpe ad crepaturam usque tendit ductus ſuos & veſiculam, quæ dein ſpasmis & vomitibus retrorſum in hepar & venæ cavæ ſyſtema agitur, ſanguini commiſcenda, icterumque productura.

In curanda hac colica curta ſæpe eſt medici ſuppellex. Multa tentavit Ill. *van Swieten* ut aptum ſolvendis hiſce calculoſis concretionibus, menſtruum inveniret; attamen ſpe decipiebatur tandem. Extra paroxysmum ea exhibenda ſunt, quæ amurcam bilioſam nondum in calculos concretam ſolvere apta ſunt, & ipſos forte calculos ſi non ſolvant, ab ulteriori tamen incremento prohibeant, ſcilicet ſerum lactis, aquæ medicatæ, terra foliata tartari, pilulæ ex ſapone veneto, oxymell; ſuccus graminis & taraxaci a *Lanciſio*,

Boerhaavioque laudata. Ill. *van Swieten* ſolo decocto graminis cum melle pro potu, & gramine juſculis carnium incocto, fere pro unico cibo adhibitis, ſanatam a ſe hominem recenſet. Hac ratione fit, ut calculi etiam non ſoluti per dilatatum ductum choledochum exitum inveniant, & per alvum excernantur. In paroxysmo vero colicæ hujus bilioſæ conveniunt ea, quæ ſpasmos ſopiunt, ut emulſa papaveracea, oleoſa, decocta emollientia, clysmata, unguenta & fomentationes externæ; at in ſumma dolorum exacerbatione opiata omnino neceſſaria ſunt.

Semper huic colicæ junctus eſt vomitus, qui ſalubre non raro naturæ molimen eſt, ad expediendum ductum choledochum, calculumque promovendum. Tamen ſi nimius ſit, ſicque graviora inde mala imineant, narcoticis compeſci denuo debet. Unde fit, ut calculus vomitu promotus, attamen poſt ſpaſtice conſtrictam cholodochi ductus extremitatem exire non valens, dato relaxante & pacante opio, felicem ſibi exitum in inteſtina inveniat.

4) *Colica inflammatoria* ſeu *enteritis*. Eſt inflammatio inteſtinorum. Alia eſt *originaria*. Alia *ſuperveniens, ſymptomatica*, ſeu *ſecundaria*. Originaria eſt febris inflammatoria

ria cum inflammatione inteſtinorum. Difficilis non veræ inflammationis cognitio eſt. Graviter peccant, qui in omni colica nil fere vident, niſi *inflammationem.* Graviſſimæ, diriſſimæ colicæ ſubinde ſunt *ſine inflammatione.* Nihilominus verum eſt, omnem colicam undecunque natam, tranſire poſſe in veram enteritidem. Nam in omni dolore major fit humorum affluxus ad locum irritatum, & tandem inflammatio.

Aliam dixi ſecundariam, quæ ſcilicet alteri morbo ſupervenit. Supervenit autem colica inflammatoria.

1) Cuilibet alteri colicæ diutius duranti.

2) Herniis incarceratis: inde citius, quam ex alia ratione ægri pereunt. Nondum extra teli jactum æger eſt, etiam feliciter repoſita hernia.

3) Dyſenteriis; plerumque tamen *dyſenteriæ carent inflammatione*, etſi atrox dolor ſit, etſi alvus cruenta. *Dyſenteriæ vernales*, eæ item, quæ ſero autumno conſpiciuntur, ſubinde habent inflammationem veram conjunctam, qua tamen dyſenteriæ æſtivæ *plerumque* carent. Hinc (in tranſitu) opiniorum diſcrepantia circa venæ ſectionem in dyſenteria, & methodum emollientem ac mucila-

ginoſam, probantibus aliis, aliis vero negantibus.

4) Febribus bilioſis, malignis; etenim plerumque in his febribus inteſtina in cadaveribus reperiuntur inflammata, gangrænoſa, quin ullum unquam in abdomine dolorem quæſti ſint. Subinde tamen *leviores* dolores quæruntur. Hæc illa dubia, fallax, latens, & perniacioſa enteritis eſt, quam autores deſcripſerunt, & quam nos in noſocomio non una vice vidimus.

5) Febribus puerperarum. In his adeo frequens eſt, ut cauſſam ipſam febris puerperarum in inteſtinorum, meſenterii, omentique inflammatione repoſuerint.

Character veræ inflammationis hic eſſe ſolet. Dolor in uno loco *fixus*, *continuus*, & ſi per intervalla exacerbatur, attactus *impatiens*, *abdomen tenſum*, *tympaniticum*; ſubinde *vomitus*; ſubinde *alvus pertinaciter clauſa*; ſubinde alvus fere *dyſenterica*.

Ad feliciorem *diagnoſin* nota

1) an anni tempus ſit *inflammatorium*?

2) an vera pulmonum inflammatio adſit? cum hac enim frequenter jungitur.

3) An æger colicis doloribus obnoxius ſit? bilioſa recidivat facile, frequenter redit, non item inflammatoria;

4)

4) victus ratio.

Prognoſis; periculoſiſſima omnis inteſtinorum inflammatio eſt. Subinde inter 24 horas, intra 3 dies occidit. Periculoſior illa eſt, quæ febribus malignis jungitur.

Cura ſumme antiphlogiſtica. *Ore* emulſa, mucilaginoſa, pauciſſima nitroſa, mole pauca, ſed frequenter. *Alvo* enemata ex ſolo emolliente decocto, phlebotomia, balnea. Cataplasmata emollientia. Cave ſpirituoſa, opiata. Oleoſa ſubinde minus conveniunt ob ranciditatem.

Cum colica inflammatoria quandam habent affinitatem quædam aliæ colicarum ſpecies, quæ quidem inflammatoriæ nondum ſunt, ſed tunc a ſanguine oriuntur multo, congeſtoque, & abeunt ſubinde in inflammationem. Scilicet *colica hæmorrhoidalis* oritur, ſi varices ani tumeant, tumidi non aperiuntur, ſicque ſanguis, ut ita dicam regurgitet ſtagnat, & vaſa inteſtinorum vicina *diſtendat*; incommoda urinæ, ſtranguria, iſchuria, inde oritur, partim ob conſenſum & partium continuitatem; partim quod pauci quidam vaſorum hæmorrhoidalium rami ad ipſam usque veſicam pertingunt. Deberet dici *colica ſanguinea*. Curatur

1)

1) promovendo hæmorrhoides per enemata, emollientia, fotus & vapores admiſſos per ſellam perforatam ad anum. Frictiones ani. Per eccoprotica, ſalia media. Quandam laudem peculiarem magneſiæ tribuunt bis ter per diem ad drachmam unam datæ; abſint *aloëtica* ſaltem in viris, & in graviori malo, balnea, cataplasmata *mitigabunt*, avertent inflammationem.

2) Curatur ſuccedaneam evacuationem ſubſtituendo, venæ ſectionem brachii, pedis.

3) Sanguiſugis adplicatis. Circa applicationem notandum, eas non deberi adplicari *tuberculis inflammatis*, niſi inflammatione diſcuſſa; nam ſecus ſuppuratio tuberculi & fiſtuloſum ulcus facile ſequetur. Item pone tubercula in loco *non inflammato* duplici modo convenire, qua venæ ſectio localis, & quatenus colicæ medetur. Lanceola præſtat in *tuberculis non inflammatis* & ſimus magnis, quæ plerumque grumoſum ſanguinem continent.

Quamdam cum hac hæmorrhoidali colica analogiam habet *colica menſtrua*, ſi ſcilicet ſanguis per uterum fluere prohibitus in viciniis viſceribus coacervetur. Methodus medendi *ferme* eadem. Dixi *ferme*, etenim circa venæ ſectionem notandum, eam cautius hic

de-

debere adminiſtrari, derivantia hic magis habere locum, balnea pedum, vapores inter balneandum admiſſi. Vapores enim intra pudenda admiſſi rarius & vix unquam ſuaderi debent, nec poſſunt. Præſtat ergo inter pediluvio adplicationem vaporum ad totum internum corpus admittere. Præter hæc balnea proderunt enemata partim emollientia, partim carminantia. Interne ſi dolor nimis urgeat, *leniſſima* poſſunt carminativa, & antihyſterica dari, cum minus plerumque metus inflammationis adſit, & plus ſpasmorum; in robuſtis tamen, ruſticanis, vel laute viventibus & plenis, exigua ſanguinis detractio conveniet. Cataplasmata carminantia.

Colica gravidarum menſe ſecundo, tertio quartove ſæpe eſt a ſuperfluo ſanguine, qui totus ad alendum fœtum non inſumitur. Aliæ quidem colicæ etiam tunc poſſunt locum habere. Attamen ad hanc peculiariter oportet attentum eſſe; minatur enim abortum: præcavetur venæ ſectione. Circa abortiendi conſuetudinem attendendum, a quanam cauſſa abortus dependeat. Multæ abortiunt hoc tempore ob dictam cauſſam, præcipue robuſtæ, plethoricæ &c. Sed quædam aliæ ob cauſſam *prorſus oppoſitam*, humorum ſcilicet penuriam, & ſolidorum, uteri præcipue laxitatem.

tem. Deſcribam conditionem harum fœminarum magis obviam, & frequentem. Chlorotica diſpoſitio, menſtrua *profuſa*, crebriora fluor albus diuturnus faciunt, ut uterus elangueſcens fœtum jam grandeſcentem non valeat retinere, præcipue ſi accedant commotiones validæ, in elevando pondere, venus, ſaltus &c.

Has ante graviditatem invigorare oportet, omiſſa venæ ſectione.

Alia colicæ ſpecies eſt *colica ſpasmodica.* Hæc ſub ſeſe plures alias complectitur differentes colicas. Equidem omnis colica ſpasmis committitur, atque inde appellari ſpasmodica poſſet, verum quædam colicæ ſymptomata nervorum affectorum plura & eminentiora habent, ut idcirco per eminentiam mereantur appellari ſpasmodicæ.

Colicæ ergo ſpasmodicæ ſubdiviſio eſt

1) in *colicam hyſtericam* & *hypochondriacam.*
2) in *colicam a conceptione.*
3) in *colicam parturientium* quam ſub nomine *dolorum partus ſpuriorum* novimus.
4) in *colicam a partu*
5) in *colicam ſaturninam.*

Ex-

Exordium a prima ſpecie colicæ ſpasmodicæ faciam, ſeu *colica hyſterica & hypochondriaca.*

Hæc ſolummodo unicum ſymptoma eſt morbi hyſterici & hypochondriaci, ramus unicus immenſæ arboris.

Pro cauſſa prædiſponente habet nimiam fibrarum muſcularium in inteſtinis irritabilitatem, quæ in motus inordinatos agitur, vel leviſſimo *ſtimulo*, ſeu *materiali*, ſeu *ſpirituali.* Levior diætæ error, ſed magis adhuc ira, metus, terror &c. colicam invitant. Remedia partim *curativa* ſunt, ea nempe, quæ ipſi morbo principali opponuntur, partim vero palliativa. Palliant autem & ſopiunt omnia fere *carminativa, ore, ano* aſſumpta, externe adplicata; item omnia, quæ aliam nervis diatheſin inducunt, odores, irritamenta, & ſcuta ſtomachica.

Altera ſpecies eſt, *colica a conceptione*; Etiam hæc eſt uti fere prior ſpiritualioris originis, evaneſcit aut antihiſtericis & carminativis, vel ipſo tempore.

Colica parturientium nota eſt ſub nomine *dolorum ſpuriorum partus.* Incipit a lumbis, pergit *antrorſum* & *ſurſum*, absque niſu uteri teneſmoideo & deprimente, fœtus non pro-

mo-

movetur; curatur varia ratione, prout excitans cauſſa varia. Scilicet

1) Quibusdam junioribus, plethoricis, venæ ſectio hanc colicam ſopit, & veros partus dolores accerſit.

2) Aliis nervina proſunt, ipſumque opium refractiſſima doſi datum, dolores hoſce comprimit.

3) Aliæ juvantur enemate eccoprotico, & dein carminante.

Colica a partu vocatur etiam dolor poſterus. Colica a partu eſt vel a continuatione contractionum uteri, ſi videlicet ii ipſi motus, uteri & abdominis totius, qui partum antea abſolvebant, fœtu licet excluſo nihilominus perſtent, id quod in irritabilibus fieri conſuevit. Tunc vero quies, & tempus ipſum, pauxillum opii præcipue inſtar incantamenti turbas a partu continuatas componet. Subinde vero ſecundinæ validius adhæreſcunt, difficilius ſolvuntur, hinc uterus valide contra ipſas contrahitur: hunc dolorem tollet, quidquid ſeparationem ſecundinarum facilitabit. Non licet quidem *vi* ſecundinas avellare, aut digitis deglubere violenter impactis, attamen juvari ea ſeparatio poteſt, leniter funiculum trahendo, aut etiam apicibus digitorum evulſio jam inchoata abſolvi.

Alia

Alia ſpecies colicæ poſt partum eſt *a contuſione*, rudi manu, vel inſtrumento illata, in partu laborioſo. Fiunt tunc periculoſæ *inflammationes* uterinæ & inteſtinales. Methodus tunc antiphlogiſtica, emollientia &c.

Alia poſt partum *colica* eſt *quæ febrim puerperarum comitatur*; hæc tertio, quarto, quintove die, vel & ſerius invadit; cognoſcitur ex ſymptomatibus febris puerperarum, quam *gaſtricam* eſſe multoties in noſocomio vidimus. Pertinet hæc colica ad eas, quæ a ſaburra oriuntur, bilioſas, putridasque.

Methodus medendi eadem convenit, ac ipſæ febri puerperarum.

Notandum eſt, nullam puerperam poſſe eſſe ab omni dolore colico immunem. Etenim primo ſecundinæ, deinde grumi ſanguinis lochialis per vices ex utero expelluntur doloribus ejusmodi, qui partus dolores æmulantur. Verum *mites* hi ſunt & per varias redeunt intervalla, ita, ut in dies *rarius* & *mitius* & absque *magnô* incommodo, & cum grumi alicujus expulſione obſerventur. Atque hos ſopire nec poſſumus, nec convenit, eosque noſcimus ex ſignis modo allatis.

Alia ſpecies colicæ eſt *colica pictonum*. Varia nomina ſortita eſt olim hæc colica; voca-

cabatur enim & *ſcorbutica*, & *convulſiva*. Cum in agro pictavienſi circa annum 1639. epidemice graſſaretur, adpellari cœpta eſt colica pictonum. Sicut in morbi nomine auctores differunt, ſic etiam diverſæ opiniones circa ejus cauſſas.

Magnificus *de Haën* inter cauſas refert venena ſaturnina, febres male curatas, acrimoniam humorum in hypochondriacis & ſcorbuticis, menſium, lochiorum, & tranſpirationis ſuppreſſionem, iram, aquas vitæ, vina acida, & fermentantia, refrigerationem corporis, obſtructionem alvi &c.

Alii quidem non negant, colicas ab omnibus hiſce cauſſis poſſe provenire, attamen id aſſerunt, colicam a plumbatis productam eſſe morbum *ſpecificum*, & ſui generis, quem nulla hucusque alia cauſſa præter plumbum produxiſſe fuerit obſervata, & colicam ſaturninam revera unice pictavienſem debere appellari.

Aegrotant inde pictores, figuli, pharmacopæi, quibus plumbata, ſaccharum ſaturni, ad gonorrhœam, fluores albos, pollutiones nocturnas, inducendam ſterilitatem, ſudores colliquativos, diarrhœas colliquativas, phthiſin ſanandam dabantur. Qui vina plumbo edulcorata biberunt, qui butyrum adulteratum aſſumpſerunt.

Sym-

Symptomata colicæ pictonum ſunt ferme inumera. *Vide T. II. meæ rationis medendi* pag. 267. Variæ methodi *laudantur*; poſſunt fors ad ſequentes reduci. *Methodus draſtica.* Quadruplicata emetocathartica exhibet, eo ſcopo, ut vi excutiat venenum. Hinc tartarus emeticus, jalappa &c. verumtamen hæc methodus colicam ſaturninam *graviorem* nunquam ſanabat; initio mei phyſicatus in noſocomio idem tentavi; abhorrui ab uſu opii, at nil profeci. Vomitus perſæpe ſuapte adeſt ſymptomaticus, graviſſimusque. Alvus catharticis in morbo graviori adeo non reſeratur, ut magis fiat pertinax. Purgantia transeunt in emetica. Spasmi ſæviores fiunt, ſi ſtimulus remediorum accedat ad ſtimulum veneni ſaturnini; hinc hæc methodus *evacuans* ſola, uti alias colicas, *bilioſas* nempe omnesque ortas ab illuvie abdominis ſanare poteſt, ita nunquam ſanabit hanc *ſaturninam*, ſeu *ſpasmodicam.* Non nego nullum eſſe evacuantium uſum, verum id aſſero, evacuantia hæc *directe* non convenire.

Secunda *methodus* eſt *eccoprotica.* Abſtinet hæc a draſticis, reſinoſis, emeticis. Rem omnem conficere vult ſero lactis, caſſia, tamarindis, ſale amaro, manna, enematibus. In morbo *leviori* hæc ſufficiunt, mate-

riem

riem involvendo, blande & absque turbis educendo. Verumtamen certus ſum, majorem morbi gradum his remediis non auſcultare. Quandonam eccoproticorum uſus eſſe poſſit & debeat, infra dicam.

Tertia methodus eſt involvens, hæc lac, oleum, mucilagines, decocta mucilaginoſa præſcribit, enemata, & balnea, vaporem aquæ immiſſum in anum, cataplasmata mere emollientia, ex ſemine lini, fœnu græco. Venæ ſectio; at leviſſimus, ſolum morbi gradus hac ratione ſanatur. Equidem hæc in morbo indolis *ſpasmodicæ* indicantur, quatenus fibras nimium tenſas, irritatas criſpatasque relaxant, aliqua ſaltem ratione, verum neutiquam ſufficiunt ſola.

Quarta methodus eſt nervina. Huc olea ſtillatitia, aquæ aromaticæ, acida mineralia dulcificata. Spirituoſa, gummata ferulacea &c. caſtorealia. Succinum. Camphora, myrrha &c. præſcribunt *ore* aſſumenda, *frictionibus* applicanda, & in ſcutis ſtomachicis. Verum hæc ſola paralyſin potius a colica reſiduam emendant, quam ipſam colicam.

Quinta methodus eſt per varia alia, quæ tanquam *ſpecifica* laudantur: ſic quibusdam antimonium crudum, aliis ejusdem quoddam præparatum, ſulphur aurat. antimon. Aliis ſul-

ſulphuris flores, aliis alumen interne data mirum laudantur. Verum nil hucusque ſpecifici nomen merebatur.

Sexta eſt *methodus narcotica*, hæc morbum largis opii doſibus aggreditur. Hæc methodus ſæpe votis reſpondet, ſpasmos enim potenter ſolvit, & fibras inteſtinales reddit ſtupidas, easque relaxat; hinc alvus ſequitur, vomitus ceſſat, dolor ſilet. Verum etiam hæc methodus incommodis non caret; nam primo quibusdam opium ſpasmos neutiquam ſolvit, vi plumbi opium ſuperante. 2. multa nonnunquam adſunt opium contraindicantia, uti poſtmodum videbimus. Tandem

Septima datur *methodus compoſita* ex omnibus hiſce commemoratis. Ad determinandam medendi methodum videamus jam morbi *genium*, & ejus *variam complicationem*. Notandum

I. eſt, plumbum nocere maxime in *primas vias* delatum forma pulveris, item forma vaporum irretiri ſalivæ, & deglutiri. Nocere probabilius etiam ſuſceptum *intra pulmones*. Dubium eſſe, an externe adplicatum noceat, affirmant alii, aliis negantibus. Hinc curam maxime faciendam eſſe primis viis, ibique morbi ſedem eſſe.

Not.

Not. II. agere in fibras muſculares, nervosque; vim irritabilitatis *nimium* intendendo, & demum etiam *deſtruendo*.

Not. III. Alvum plerumque pertinaciſſime claudere, hinc *colicas ſimul ſtercoreas* jungi.

Not. IV. Continuo laceſſitu & vellicatione ſyſtematis gaſtrici humores gaſtricos copioſiſſime ſecerni, bilem præcipue. Hinc omnes ſaturnini ſimul ſymptomata *bilioſa* exhibibent. Hinc etiam jungi *colicam bilioſam*.

Not. V. Curato licet morbo ſaturnino, relinqui tamen ejusdem *effectus* perſæpe. Hi ſunt *paralyſis*, *rheuma chronicum*, *aſthma*, *hydrops*. *alvus difficilis* ob inteſtina inæqualia, eorundem conſtrictiones; *animi diſpoſitionem peculiarem* & *maniam*; *paralyſin* cum pulſu duro, at carne muſculari flaccida & evaneſcente, tubercula.

Hinc cura *ipſius morbi*, & ſecundo *effectuum*. Seu potius

I Cura *ipſius colicæ ſaturninæ*.

II Cura morborum commixtorum.

III Cura effectuum poſt morbum.

Colica *ſola* ſaturnina petit

I. Remedia irritatas fibras, & ſpasmos ſopientia, *emollientia* alvo, ore, *inviſcantia* ad abdomen. Clysmata vaporum. Balnea.

Hæc

Hæc ſunt leviora. Oleoſa, gummi arabicum ſolutum in lacte. Ubi ſpasmi apoplexiam minantur aut ſuffocationem, ibi venæ ſectio. *Narcotica.* Opium, non ſolum mentem fallit, ſed irritabilitatem ſuſpendit ad tempus. Potus *multus*, *enervans.*

II Evacuantia ore, alvo: interpoſitis opiatis.

III Roborantia, nervina. Gummi ferul. Caſtoreum, Camphora, Cortex. Amara.

Cum multa colluvies *bilioſa* & *ſtercorea* adſit ſemper, hinc & colica *bilioſa* & *ſtercorea* una jungatur & concurrat, ſequitur etiam huic utrique obviam eundem eſſe. Atqui hæc reſpuunt opium, petunt vero evacuantia. Nonnunquam aliquid inflammatorii adeſt, ſi malum diutius duret. Tunc & evacuans contraindicatur & opium, indicatur vero venæ ſectio & methodus antiphlogiſtica.

Hinc ſequentes regulæ obſervandæ:

1) In colica pictonum ſicca, absque *vomitu*, remedium ſolvens, ſalinum, mannatum convenit, dein vero emeticum, enemata. Subinde etiam venæ ſectio in robuſtis, *febricitantibus* (ipſa autem colica ſaturnina eſt absque febre) dein opium, quo diutius continuato denuo lene purgans, aut eme-

ticum exhibeatur, ita tamen ut mox iterum opium detur.

2) Quodſi vero *ipſius colicæ* ſymptomata urgeant, præcipue *vomitus*, tunc cura ſtatim ab opio inchoanda eſt: & tandem denuo *evacuans*: ac poſtea opium.

3) In *pertinaciſſima alvi obſtructione* prius opium, dein enemata, & purgantia. Purgans draſticum nil valet.

4) In *atrociſſimis* doloribus *emollientia*, venæ ſectio.

5) In *iſchuria* eadem *emollientia*, clysma vaporum, venæ ſectio, balneum, opium, ſinapismus.

6) In *epilepſia*, *apoplexia* venæ ſectio, balneum. Frictio. Sinapismi, veſicantia. Opium. Emeticum.

7) In *furore maniaco*. Eadem

8) In accedente tympanidite dolorifico, *venæ ſectio*.

9) In accedente *febre* putrida maligna, methodus huic febri dicatur emeto-cathartica.

Paralyſis curatur frictionibus ſiccis, ſpirituoſis, ex ſpiritu ſerpilli, formicarum, urticatione, Tinctura cantharidum, alumine plumoſo adplicatione rubefacientium. Thermis ſulphureis, camphora, benzoe, aſa foedi-

ta,

ta, balſamis e. g. peruviano. Decocto ſaſſafras, guajaci, ſerpentaria virginiana. Sulphure aurato. Vino dulci. Equitatione.

Colica metaſtatica. Huc pertinet colica.

1) a perſpirabili ſuppreſſo

2) a materia arthritica, aut podagrica.

3) a materia rheumatica.

I. *Colica a ſuppreſſo perſpirabili.*

Dolores colici oriuntur perſæpe a perfrigeratione, ſi aer frigidus ventrem adflavit, contingit id iis, qui vento adverſo iter faciunt, qui noctu ſtragulis male tecti, & nudi cubant, qui pedibus nudis per frigida pavimenta incedunt, aut æſtuante corpore potus frigidos glaciales aſſumunt.

Cura ſæpe perverſa admodum eſt, cum medicamenta aromatica & ſpirituoſa hoc in morbo aſſumi ſolita facile inflammationem aut præſentem augeant, aut abſentem invitent. Hinc juvant ſequentia: frictio pedum pannis calidis, & dein balneum crurum tepidum, asſumto interim leni infuſo florum chamomillæ aut ſambuci copioſo ſumpto. In graviore dolore juvat clysma emolliens oleoſum; quodſi dolor vehemens ſit, corpus robuſtum & plethoricum venæ ſectio præmitti debet, & clysma ex mera aqua tepida adplicari, crura vero exponenda ſunt vapori aquæ tepidæ pri-

mum, deinde tepido balneo immergenda. Infuſum florum tiliæ cum lacte copioſe bibendum, & hiſce omnibus prægreſſis granum opii dandum, quod dolorem ſopit vi partim ſpecifica, partim illa, qua ſuppreſſam perſpirationem potenter reſtituit, his nil proficientibus profuere ſummopere emplaſtra veſicantia cruris applicata.

II. *Colica a materie podagrica* in iis qui podagra laborarunt, quibus paroxysmus podagricus emanet, & materies ad inteſtina deponitur, ob vitium diæteticum. 2. Ob plethoram. 3. Ob vim vitæ nimis debilem & ſenectutem. 4. Ob artus tophaceos, incapaces excipiendæ materiæ. 5. Ob reppellentia. Cura deſumi ex cauſis debet.

III. *Colica rheumatica.* Quemadmodum materia rheumatica artus occupare poteſt, quemadmodum lumbaginem, iſchiadem, ophthalmiam humidam, coryzam, anginam, catarrhum, ita & *colicam* efficit, ubi inteſtina occuparit.

Cura erit primo materiem avertere ad urinam, ad poros cutaneos determinare potu, fotu emolliente tepido, regimine diaphoretico, veſicante. Hæc illa colica eſt, ubi veſicans abdomini impoſitum juvat.

Co-

Colica ab alienis non comeſtibilibus corporibus in cavo inteſtinali hærentibus. Huc pertinet colica a calculis natis intra inteſtina. A prunorum, ceraſorum nucleis, ab acu deglutita, a devorato vitro. Flores arnicæ. Enemata. Potus emollientes, copioſi, oleoſi indicantur.

Huc colica a purgantibus *reſinoſis*. Hæc debent amygdalis ſubigi, aut pineis. Juvant emollientia, lac, oleoſa, narcotica.

Huc colica *verminoſa*. Ingens dolor a terebrantibus vermibus ſopitur oleo hauſto, emeſi. Dein vero anthelmintica, ut purgantia omnia, ſalina, reſinoſa. Incidentia ut oxymel ſquilliticum, roborantia, mars, cortex peruvianus. Amara, Vitriolum martis. Raſura ſtanni puriſſimi. Radix dictammi albi, valeriana, poeonia, ſemen ſantonicum. Extractum nicotianæ, Spigelia.

Colica a prava ipſorum inteſtinorum conditione & ſtructura vitiata. A vitio *ſuppuratorio*, *cancroſo*, *ſcirrhoſo*, *anguſtiis* præternaturalibus, anguſtati inteſtini & letalis colicæ exemplum habemus in ſeniculo quodam decumbente Nro. 52.

Regulæ in omni colica obſervandæ.

1) In omni colica inquirendum in *herniam*.

2)

2) In omni colica a quaque cauſſa expedit alvum habere *apertam* hinc *emollientium* enematum ubique uſus.

3) in omni colica *diutius* & gravius affligente *inflammatio* accedere tandem poteſt. Hinc prophylactica venæ ſectio nunquam nocebit.

4) In omni colica ſpasmus & fibrarum criſpatio eſt. Hinc palliativa innocua & univerſalia ubique obtinent ſcilicet cataplasmata emollientia, balnea, enemata emollientia. Parca venæ ſectio.

In omni colica adcurata diagnoſis fieri debet, antequam ad ſpecialiora remedia accedas. Hinc nec *ſpirituoſa*, nec *opiata*, nec *emetica*, nec *purgantia*, utut mitiora propinentur in colicis, niſi *adcurate* de indicatione conſtet. Hæc enim omnia pertinent ad remedia heroica & magna.

6) Inſiſtendum potius *generalioribus* his, ſi diagnoſin certam non habeas.

I L E U S.

Ad vomitus, & dolores colicos ileus pertinet, qui conſiſtit in dolore ſummo inteſtinorum, præcipue ilei, alvi obſtructione perti-

tinaci, ad purgantia ſæpe & clysmata rebelli, accedente tandem vomitu perpetuo omnium ventriculo & inteſtinis contentorum.

Cauſſa horum omnium eſt motus periſtalticus, qui alias deorſum tendit, jam modo præter naturam inverſus.

Huic inverſioni anſam dant, notante *Sydenhamo*, vel *obſtructio* vel *irritatio* inteſtinorum, utraque iter deorſum ad anum intercipit. Talis autem vel *obſtructio*, vel *irritatio* producitur

1) ab omni valido dolore inteſtinorum, unde gravis colica aliquando tranſit in ileum. Hinc partium vicinarum nervoſarum inteſtina in conſenſum trahentium ſpasmi & convulſiones, ſuppreſſio urinæ, vomitusque ileum inducere poſſunt,

2) ab excrementis compactis, remorantibus, alienis, deglutitis, ab adſtringentibus validis, a vermibus, venenis, vel acribus quibusvis,

3) ab hernia inteſtinorum, eorum introſuſceptione, aut mutuo ingreſſu.

Cura. Cum ileus inflammatione & ſphacelo cito necat, omni modo atque omnibus viribus morbus oppugnari debet. In illa ilei ſpecie, qui a conſenſu nervorum & ad inteſtina propagato ſpasmo oritur, opium matu-

re exhibitum indicationi omnimodo ſatisfaciet. Sed etiam ubi ileus a vomitu oritur, vel imminet, vel fovetur, conducet narcotico vomitum compeſcere. Quodſi vomitus in alia ilei ſpecie ſit potius effectus quam causſa ilei, hæc vero quæcunque demum fuerit, in inteſtinis reſideat, nihilominus prima indicatio erit vomitum ſiſtere, quum eo durante medicamenta utpote ſtatim ore rejicienda, ægro nil profutura ſint; purgantiaque exhibita evadant potius emetica.

Conveniunt omnium primo venæ ſectio ut inflammatio præſens tollatur, aut futura præcaveatur, ſimul ſpasmi ſolvantur.

1) Balneum emollientiſſimum tepidum, cui dum æger inſidet, plerumque inſigne levamen habet.

2) Dein ad compeſcendum vomitum opiata, varia forma, ſicca vel liquida, prout ventriculus facilius tulerit.

3) Purgantia mannata cum oleo, aut acidulæ ægranæ ea copia potæ, qua alvus ſollicitatur; quodſi a ſtimulo harum aquarum ſalino nimium inteſtinis metueretur, admiſceri lac poſſet, adplicato ſimul clysmate leniter ſtimulante. Attamen ſi tenesmus ani & veſicæ adeſſet, oleoſus clyſter præſcribendus eſt. In curando ileo generoſiores & repe-

petitæ laudani liquidi doſes ſæpiſſime mirum quantum profuere. Sæpe lenia hæc catartica alternare cum opiatis debent.

Supereſt *dolor inteſtinorum chronicus*, modo remittens, modo rediens iterum, & exacerbatus,

Cauſſa eſt obſtructio viſcerum vicinorum, hepatis maxime; vitium ſolidorum in ipſis inteſtinis; eorum anguſtia præternaturalis abſceſſus, ulcus, ſcirrhus, cancer, callus: ægri tandem hectica vel hydrope ærumnoſam vitam finiunt, poſt menſes annosque diæta tenuis, demulcens, emolliens, lactea, princeps levamen largitur, una cum clysmatibus talibus & balneis. Juvat ſimul ipſi cauſſæ principali remedia apta opponere. Opiata breve & evanidum levamen afferunt, quod nonniſi in ſumma neceſſitate exhibendum erit, cum omnibus aliis indicationibus, dolorem ſi excipias, contrariatur.

Juvat hic methodum adjicere, quæ omnibus fere colicarum ſpeciebus, ea ſola excepta, ubi in ſolo motu eſt vitium, ut apud hyſtericas, convenit, etiamſi cauſa lateat, aut cauſſæ fuerint complicatæ, ſimul autem nunquam & nullibi nocet.

Accedens ad tales ægros medicus examinet; an ſubſit hernia, quam ægri ex in-

tem-

tempeſtivo pudore reticent, aut ob exiguam ejus molem negligunt. Plures interim, ut recte *Werlhofius* notat, ea propter intereunt. Herniæ præſenti repoſitione proſpicitur. Si autem nulla adfuerit hernia, clysma emolliens addito melle & nitro injiciatur. Sæpe experientia docuit, vera ſcripſiſſe *Junckerum*, quod ſcilicet non raro clysmatibus ſolis univerſum malum ſolvatur. Si vero enemata nil levaminis afferant, exhibentur mannæ Unc. jβ. cum olei amygdal. Unc. ij. in juſculo carnium. Vel emulſionem amygdalinam cum manna & terra foliata tartari. Hæc autem imprimis conveniunt, ſi ſordium accumulatarum ſit ſuſpicio. Pulchre quoque proſunt ſine doloris exacerbatione acidulæ egranæ addito pauxillo lactis tepefacti. Si tamen alvus nondum reſpondeat, clysma aliud ex juſculo pingui cum Unc. ij. infuſi croci metallorum adplicetur, remedium a *Pitcarnio* laudatum. His nil proficientibus periculum ilei inſtat, hinc ſi dolor mitigari renuat, maxime vero ſi res cum plethorico aut hæmorrhoidario ſit, medicus de accedente inflammatione cogitans ſine mora venam ſecet, ſi opus fuerit, repetat. Foris applicentur abdomini oleoſa, unguenta, fotus emollientes, in dolorum atrocitate æger balneo inſideat,

ubi

ubi ſæpius experimur veritatem aphoriſmi *Bagliviani*, dum ait: dolor colicus fere ſemper miteſcit in ſemicupio, ideo in doloris pertinacia utere ſemicupio. Pro potu ſit infuſum theæ, hydrogala, emulſa, aut ſi acidorum ingluvies ſit prægreſſa, decoctum cornu cervi vel juſculum tenue carnium. Abſtinendum ab omnibus anodynis, niſi ea indicentur a vomitionibus & dolorum acerbitate. Anodyna dum adhibentur ſimul in uſum trahi reliqua indicata medicamenta debent. Calida & nomine carminantium uſurpari ſolita ferme nunquam conveniunt.

DIARRHOEA.

Diarrhœa in genere dicitur adeſſe, ſi fœces excerni ſolitæ, liquidiores ſint, ac frequentius & majori quantitate ſecedunt, vel ſi cum iis aliæ ſordes, aut liquida cujuscunque generis, peregrina, quæve naturaliter alvo non excernuntur, ejiciantur.

Quæcunque ergo cauſſa efficit, ut liquida afferantur majori copia; & in cavo inteſtinarum accumulentur, & quæque ſimul reſorptionem proportionatam impedit, ea *diarrhœæ cauſſa* dici debet.

Ma-

Majorem copiam & affluxum contentorum cient ingluvies, aſſumptorum cruditas, & degeneratio, ac ſtimulus quivis villos nerveos inteſtinales vellicans, ex arteriis hepaticis, pancreaticis, meſeraicis, tubulisque innumeris exhalantibus uberius alliciens, vel & tubulorum inteſtinalium laxitas; excretiones aliæ ſuppreſſæ vel impeditæ; venarum reſorbentium laxitas & impotentia, earundem obſtructio a muco, oppilatio ab aphthis, aut, quæ rarius evenit, concretio plenaria. Hæ univerſales ſunt fluxuum alvinorum cauſſæ, ad quas omnes ſpeciales, quæ ſui generis diarrhœas excitant, reduci poſſunt. Singulas earum ſpecies nunc ordine videbimus.

Sit primo *diarrhœa purgante draſtico concitata*, quam, & *hypercatharſin* vocant; malum grave eſt, præcipue, ſi tormina, virium proſtratio, & animi deliquia immineant; perdurantibus enim doloribus, eroſio inteſtinorum, & eorum inflammatio, febrisque naſcitur. Profuſis autem nimium humoribus metus convulſionum adeſt, quas ab inanitione, natas *Hippocrates* letales pronunciat. Hinc ſtatim lac tepidum, juscula carnium, oleoſa, affatim haurienda. Item decoctum rad. altheæ ſaturatum cum lacte. Hæc tamen omnia ſæpe non ſufficiunt, niſi ſpasmi, convulſiones

opio

opio compeſcantur. Sunt, qui theriacam aut per ſe aut cum vino exhibeant, verum aromatum farrago plurimum certe nocet, & inflammationem accerſit. Hinc præſtat ſolo opio uti.

Sequitur *diarrhœa a cacochylia in primis viis ſtabulante.* Oritur hæc ab ingeſtis quantitate & qualitate peccantibus. Accedente ſimul ventriculo debili, laxoque; cum autem ingeſta, dum corrumpuntur, in variam, pro ſua ſcilicet indole, acrimoniam abeant, patet cacochyliam hanc acidam, rancidam, aut putridam eſſe poſſe. Maxime huc referri debent omnia ſub fermentationis actu aſſumpta, vel facile fermentantia, uti fructus horæi, muſtum, cereviſia recens.

Indicatio eſt, gravantem ſaburram educere ea via, qua commodius, tutiusque id fieri poteſt. Hinc ſi anorexia, nauſeaque & ponderis ſenſus in regione ventriculi ſit, diarrhœa inde nata potius vomitorio curatur, utpote quod morbi mineram breviori itinere excutit. Hac enim ratione fit & evacuatio citiſſima, & revulſio, nimii motus periſtaltici ſalutaris inverſio. Pertinaces diarrhœas hac methodo *Ill. van Swieten* curavit. Quod ſi quacunque ex cauſſa remedium hoc exhiberi nequeat, proderit manna, ſalibus & rheo ar-

ma-

mata, item clysmate blandiori, quin & acriori per alvum, educere materiem peccantem. Tandem ſi certiſſimum, nil amplius ſordium reſtare, niſi ſponte diarrhœa ſiſtatur, roborantia, adſtringentia, aromatica ventriculo & inteſtinis amica, exhiberi debent. Huic quidem diarrhœæ, a diætæ vitiis ortæ, apprime convenit methodus, quæ mane rheum, veſperi autem theriacam exhibet.

Si factis ſufficientibus evacuationibus, diarrhœa nihilominus perſeverat, ob motum ſcilicet ſenſumque auctum, ac intenſiorem periſtalſin; opiatum remedium nimiam hanc fibrarum inteſtinalium irritabilitatem minuendo, diarrhœam optime cohibebit. At ſæpe ſæpius ejecto licet ſtimulo, diarrhœa pergit ob debilitatem laxitatemque ab affluxu humorum nimio enatam, ſine ſenſu nimio & præternaturali, id quod ex torminum abſentia facile colligitur. Atque hoc quidem in caſu anodyna nocere exiſtimo, cum hæc, uti aliunde ſcitur, fibras debiles magis adhuc debilitent, laxent, ac vim ventriculi dejectam, magis adhuc dejiciant.

Hinc ſola aromatica, tonica, roborantiaque indicantur, rheum toſtum, abſynthium, cascarilla, vinum generoſum rubrum, cum corticibus aurantiorum, radice gentianæ rubræ &c.

Diar-

Diarrhœa a *fermentantibus* nata abſorbentibus & opiatis, methodo *Ettmülleriana* optime curatur.

Tranſimus ad diarrhœam *a laxitate inteſtinorum* ortam, Laxitas hæc poteſt eſſe effectus diarrhœæ ab humoribus crudis ortæ, unde dein alia diarrhœa, chronica videlicet, ob inteſtinorum debilitatem, enaſcitur. Verum poteſt hæc inteſtinorum laxitas etiam aliunde oriri, & demum hanc diarrhœæ ſpeciem producere. Abſunt hic ſymptomata ſaburram primarum viarum indicantia, abſunt etiam tormina.

Hoc in caſu indicantur roborantia, & adſtringentia, quæ quidem extra hunc caſum ſemper nociva ſunt, ubi nempe irritatio, ſtricturæque & ſenſus exquiſitior dolorum ſubſunt. Sed ibi, ubi adſtringentia conveniunt, opiata nocent. Medicamentum enim adſtringens juvat fibræ laxæ, inertique; opium vero medetur fibræ ſtrictæ nimium irritatæque, & eam reddit laxiorem, inertioremque. Licet opiata pro tempore diarrhœam hanc ex laxitate oriundam ſiſtant, ea tamen poſtmodum gravior redit, & pertinacior,

Signa hujus diarrhœæ ſunt, corpus debile, pallidum, pulſus debilis, exilis, alvus ſtatim deponenda inter murmura ventris, ut primum

mum aliquid ingeritur. Abſentia dolorum colicorum, os non pravum. Conveniunt autem cibus ſiccus, panis toſtus, caro aſſa, vinum auſterum. *Hippocrates & Galenus* laudant meſpila, eadem *Riverius* ex *Foreſto* laudat. Cortices quernos in cereviſia decoctos, laudant *miſcellanea naturæ curioſorum*. Pulvis gallorum orientalium in vino rubro, cortex caſcarillæ, peruvianus, ſuccus catechu; martialia, tinctura martis cum ſucco pomorum. Vinum martiale, cum corticibus roborantibus. Pulvis lyſimachiæ vulgaris flore purpureo ex conſilio *Hæniano*.

Baglivius notat diarrhœas frequenter oriri ex mœrore, eſſeque incurabiles; præſertim ſi mœror perſtiterit; his autem ægris febrim ſupervenire ſolere, donec tandem atrophia pereant. Conſtat autem mœrore appetitum deſtrui, coctionem impediri & primarum viarum laxitatem induci. Proſunt ergo poſt moralia pharmaca, medicamenta roborantia, nervinaque; nocent narcotica.

Alia ſpecies diarrhœæ eſt, quæ *a mobilitate nervorum, conſenſuque eorundem* originem trahit. Ejusmodi fluxus, ſine diætetico vitio; aut ſaltem ex leviſſimis diætæ peccatis, producitur in hominibus delicatæ com-

pa-

pagis, hyſtericis, hypochondriacis, quique animi pathematibus magis ſunt obnoxii.

Aromatica, grata nervina, corroborantia, e. g. ex meliſſa, mentha, chamomilla, ſalvia, cortice peruviano, tum & balſamica, ſalia volatilia, oleoſa; demum martialia, aqua ſpadana indicantur, ad opium vero nunquam accedendum niſi fors una alterave vice, ſi ſcilicet aut dolor nimius, aut nimia evacuatio id pro tempore expoſcat.

Sequitur *diarrhœa indigeſtorum*, ſeu *lienteria*. Hæc adeſt, quando alimenta indigeſta, & non, aut vix mutata, cito per alvum, ægris vix advertentibus excluduntur, proprio ſaltem pondere, a reſpirationis viribus deorſum pulſa. *Celſo* morbus hic *inteſtinorum lævitas* audit. *Cauſſa* eſt inertia omnium humorum digeſtioni famulantium, & laxitas ſumma, ac quaſi paralytica fibrarum ventriculi & inteſtinorum. Curam amara, aromatica, & adſtringentia abſolvunt, niſi icterum, hydropem, febrim lentam, lienteriam comitetur, ubi morbus princeps curari deberet. Narcotica nocent fibras inertes, torpidasque magis adhuc debilitando.

Lienteriam excipit *diarrhœa chymoſa* & *chyloſa*, ſive *fluxus cœliacus*, quando ſcilicet ingeſta jam in chymum mutata, aut ipſe chy-

lus una cum fœcibus ejicitur, ſive quando cibi non diu poſt prandium in pulticulam reſoluti egerantur; uti cauſſa fluxus chymoſi eſt ſola inteſtinorum laxitas, ita cauſſa fluxus chyloſi erit ſemper impedimentum, ingreſſum chyli in vaſa lactea, ejusque per illa progreſſum prohibens. In illa ægritudine, fluxu ſcilicet chymoſo, ventriculus utcunque ſuo officio fungitur; bilis autem iners digeſtioni non rite famulatur, atque inteſtina laxiora ex chymo chylum non conficiunt; in hac vero, fluxu nempe chyloſo, inteſtina debilia chylum ubique confectum, vaſis lacteis non inſinuant, aut hæc obſtructa eundem recipere non valent, ſi videlicet oſcula vaſorum lacteorum lenta & viſcida materies obſtruat, vel ea penitus concreverint; aut ſi glandulæ meſentericæ infarctæ ſint, & chyli progreſſum ad vaſa lactea ſecundi generis atque ad receptaculum Pequetianum morentur.

Laxitati medentur ſola grata ſtomacho & inteſtinis aromatica, vim contractilem incitantia, roborantia. Mucum vero diſſolvunt ſalia & ſapones, quibus tonica ſubjungi debent. Concretio vero oſculorum lacteorum per omnem inteſtinorum tractum difficilime concipienda; ſi tamen poſt gravem dyſenteriam, aut ulcera inteſtinorum cicatriſata,

poſ-

poſſibilis foret, immedicabilem atrophiam poſt ſe traheret. Glandularum obſtructioni, niſi ſcirrhoſæ jam fuerint, auxilium fert diligens abdominis frictio, ſapones, gummoſo reſinoſa, ſalia, amaricantia, una cum balneis.

Excernitur per alvum aliquoties, larga ſatis copia, mucoſa & pituitoſa materies, unde *diarrhœa pituitoſa & mucoſa* nomen ſortita eſt. Cognoſcitur hæc diarrhœa ex diæta prægreſſa, ſcilicet ex ingeſtis tenacibus, glutinoſis, farinaceis, ob debilitatem primarum viarum & bilis inertiam haud ſuperatis, ſubactisque. Item ex ſignis glutinoſi ſpontanei.

Cura diluentibus, reſolventibus, ſtimulantibus, amaris, ſaponaceis, ſtomachicis tandem & corroborantibus.

Alio tempore mucus in membrana Schneideriana per glandulas faucium, œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum ſecerni ſolitus, quive tunicam villoſam naturaliter obducit, ob dictarum glandularum oſcula relaxata, vel ob vellicantem acrem ſtimulum, indeque natam fibrarum convulſionem, copioſius ſecernitur, diarrhœam mucoſam facit. Tum vero denudatis inteſtinorum villis dolor & tormina inducuntur.

In hac *inteſtinorum coryza*, ſi irritans acrimonia ſubſit, ea corrigi, nudataque tuni-

ca villoſa oblíniri denuo debet. Juvant oleoſa intus data, quæ tormina levant, mollia, gelatinoſa, & demulcentia. Item clysmata ex talibus. Ad dolorem & teneſmum, ſi adſit, minuendum, hiſce remediis commode anodyna junguntur.

Pituita quoque ob vitia laxorum viſcerum generalia in corporibus cachecticis, & leucophlegmaticis, deponi in cavum inteſtinorum ſubinde ſolet, & alvo largius excerni. Tanta quandoque eſt hujus pituitæ tenacitas ut gelatinam & gluten referat, unde etiam *pituitæ vitreæ* nomen ab auctoribus uſurpatum. Subinde vero tenax hæc pituita ad inteſtinorum canalem ſeſe adplicant, demum vero ab eodem ſoluta & integra emiſſa veram membranam, aut membranaceum canalem refert, portionem elapſi inteſtini jejuni mentitur. Juvant ſaponacea, reſolventia, amara gummi reſinoſa, ſtimulantia, calefacientia, roborantia; nocet vero, anodynis aut adſtringentibus hujusmodi diarrhœam ſiſtere velle.

A leucophlegmatia detento, teſte *Hippocrate,* ſuperveniens diarrhœa morbum ſolvit. Lenia emetica ex claſſe roborantium, uti ipecacuanha, pariter proſunt.

Pituitoſam diarrhœam excipit *ſeroſa & limphatica.* Hæc diſtinguitur ab aliis, aquoſa excretorum minus coloratorum tenuitate,

quæ

quæ cum vel ſine dolore rejiciuntur. Frequens eſt corporibus humidis, ſero turgentibus, laxa inteſtina habentibus. *Materiam* diarrhœæ ſubminiſtrant humor ſalivalis, tenue ſerum halituoſum, quod ex vaſculis exhalantibus in œſophagum, ventriculum, & inteſtina depluit; præterea ſuccus pancreaticus, bilis tenuis hepatica, liberalius affluens. Hæc ſeroſa colluvies ex omni parte affluens, ſi non æqua proportione reſorbeatur, diarrhœam ſeroſam producit. Subinde excretiones aliæ ſeroſæ ſuppreſſæ aut imminutæ, uti e. g. urinæ ſecretio minuta, perſpiratio cutanea aut ſuppreſſa, aut imminuta, faciunt, ut liquidum ſeroſum alibi ſuppreſſum majori cum impetu ad inteſtina ruat. Ejusmodi diarrhœa ſibi permittenda eſt, ſi ſerum abundet in corpore, quamdiu & vires & appetitus vigent, cum morbos a ſeri abundantia oriundos feliciter præcaveat. Imo morbos jam ex tali ſeroſa colluvie ortos præſentesque ejusmodi diarrhœa ſuperveniens non raro tollit, notante enim *Hippocrate*, in aqua inter cutim incipiente, alvi profluvium aquoſum oboriens citra cruditatem morbum ſolvit; quum, ſi hæc diarrhœa ſeroſa alterius conſuetæ & ſeroſæ evacuationis, ſi ea modo ſuppreſſa ſit, vices obeat, toleranda prudenter erit,

do-

donec ſolemnis illa altera ſeri evacuatio denuo fuerit reſtituta. Igitur ſubinde ſtimulo per ſalia, rheum, ſaponem, amaricantia addito potius, quam remedio ſiſtente indiget; attamen ſub finem curationis corroborantia poſcit, Interim tamen, ſi aut diutius protrahatur, aut præter ſerum excrementitium laudabiles etiam humores educat, corpusque valde debilitet, id quod ſubinde ad deliquia usque contingit, alvi fluxus adſtringentibus & aromaticis compeſci debent, ſi modo nulla adfuerint tormina. At ſi torminoſi dolores complicentur, anodyna requiruntur.

Sed meretur adhuc ſeorſim expedi illa *diarrhœa ſeroſa*, quæ ſanis alias hominibus accidit a perſpiratione ſuppreſſa, ſi calidum & ſudans corpus ſubito auræ frigidiori exponatur. Id æſtate atque autumno frequenter contingit. Obnoxii ſunt huic diarrhœæ homines delicatæ ſtructuræ, cutisque raræ & teneræ. Præſervat hæc diarrhœa a catarrho, coryza, aliisque defluxionibus, commodeque ſudatio inverſa, aut inteſtinorum coryza, ſero ſcilicet ad horum glandulas depluente, vocari posſet. Si vero de ulla diarrhœa illud *Baglivii* valet, quod videlicet ſudor diarrhœis ſuperveniens morbum ſiſtat, id certo de hac ſpecie imprimis valet, utpote quæ artificiali humo-

morum perſpirabilium ad ſuperficiem corporis determinationem cito & pulchre ſanatur. Methodus *Hoffmanni*, quam Illuſtris autor ſuis auditoribus tanquam arcanum ſæpius commendabat, ſequens erat. Aeger in lecto bene tectus, cubet, aſſumatque repetitis ſed paucis doſibus liquoris cornu cervi ſuccinati, cum liquore anodyno, deſuper ſorbillandum infuſum menthæ calidum: ut vero certius ſudor moveatur, abdomini imponatur cataplasma ex fermento panis cum pulvere quodam aromatico & vino paratum. Sudor autem prorumpens debito regimine ſuſtentetur aliquamdiu. *Boerhaavius* dat primo granum unum opii, vel theriacam venetam, ſpiritumque vini cum charta bibula, vel aliud epithema calidum umbilico apponit, ſudoremque provocat, quo erumpente ſanatam diarrhœam vocat. Verum tamen conſiderandum, an diarrhœa ſit a ſola perſpiratione retropreſſa, vel vero an inteſtina ſimul ſordibus gravata ſint. In primo enim caſu, methodus Hoffmanniana & Boerhaaviana omnino ſatisfacit, non autem in ſecundo. Melius in poſteriori hoc caſu conveniet, mane rheum, veſperi autem opiatum exhibere, eousque donec curatio fuerit abſoluta.

Venimus ad *diarrhœam bilioſam* quam producunt *primo* abuſus alcaleſcentium, pinguium,

ran-

rancidorum, quæ *nidoroſam* cruditatem faciunt, bili analogam. *Secundo* bilis ipſa copioſius in hominibus cholericis generata. Accedente ſicca, calida, aut etiam calida & humida tempeſtate, una cum perſpiratione ſuppreſſa, per quam alias tenuiores partes alcaleſcentes difflantur, at nunc introrſum vergunt.

Tertio bilis copioſius effuſa ob ſpasmos ex nimia nervorum irritabilitate, aut ira accedente ortos.

Sæpe natura ſua ſponte per diarrhœam æſtate fervida bilioſas haſce ſordes eliminat, ſubindeque tormina moleſta excitat; id ſi non fiat, facile nauſea, anorexia, cardialgia, vomituritio, colica cum urina intenſe flava naſcuntur a bile hac putri & rancida in ventriculo, & maxime in duodeno ſtabulante. Hæc eadem materies colicas bilioſas dyſenteriamque producit, item febres autumnales intermittentes, remittentes, continuas, quas *Tiſſotus* putridas & bilioſas vocat. Caput occupans materia bilioſa, enormes capitis dolores, *delirium bilioſum*, quod ab *inflammatorio* bene diſtingui debet, ciere ſolet. Pulmones obſidens ſpeciem peripneumoniæ aut pleuritidis, quam idem *Tiſſotus bilioſam* vocat, quamque in peculiari diſſertatione deſcriptam legimus, excitat.

Om-

Omnes hi morbi tolluntur aut præcaventur diarrhœa bilioſa, quam dejectionibus bilioſis, virideſcentibus, aut intenſe flavis optime dignoſcimus. Talis diarrhœa iræ ſuperveniens, notante *Baglivio*, ſalutaris eſt. Etſi fluxus alvi bilioſus tanta non raro bona preſtat, nihilominus diutius perſeverans multa etiam mala inducit. Binæ ergo ſunt indicationes; ſtimulum ſcilicet enervare, & deinde ejicere. His ſatisfaciunt demulcentia omnia, acidula, ſaponacea, ſyrupi horæorum, lac ebutyratum, ipecacuanha, rheum & manna. Quibus exhibitis tonus inteſtinorum reſtitui ope roborantium debet.

Meminiſſe nunc oportet diarrhœæ ſeroſæ, ſanguineæ, inſtar loturæ carnium, ſeu *fluxus hepatici*. Materies ergo eſt ſanioſa & ſubcruenta. *Boerhaavius & Gorterus* aſſerunt, poſita laxitate hepatis, ſanguinem affluentem per venam portarum, maxime ſi ſero abundaverit, vel rubram ejus portionem ſero dilutam, intrare in tubulos biliarios, apicibus venæ portarum continuos, atque ex iisdem cum liquamine bilioſo pergere in ductum hepaticum & cholodochum, atque ſic ad inteſtina ruere. Hinc ſedes morbi hepar eſt, quo fluxu aſſiduo exeditur, totumque in

ta-

tabem abit. Id quod etiam ex *Boneti ſepulchreto* conſtat.

Interim alia etiam ſpecies diarrhœæ ſeroſæ, ſanguineæ oritur, ſubindeque fluxum hepaticum mentitur, ſi ſcilicet per laxatos apices arteriarum meſentericarum in inteſtina, ſerum rubellum depluat; quodſi vaſculis magis dilatatis non jam ſerum, ſed ſanguis effluat, morbus ad diarrhœam cruentam, de qua poſtea, pertinebit. Fluxus hic fluxui hepatico analogus frequentior eſt, at minus per ſe periculoſus, cum interim verus fluxus hepaticus, graviſſimum malum, licet opido rarum ſit, quem *Hoffmannus*, tantus practicus, nunquam vidiſſe aſſeverat. In eo curando requiruntur medicamenta affluxum ad hepar avertentia, viſceris hujus laxitatem tollentia, acrimoniæ bilioſæ contraria. Polychreſtus ſemper erit rhabarbari & acidularum martialium uſus.

Aliam *fluxus hepatici ſine ſanguine tingente, ſimpliciter ſeroſi* ſpeciem deſcribit *Hoffmannus*, cujus tamen ætiologiam *Ill. van Swieten* accuratius depingit. Scilicet, ſi vaſa inteſtinorum inhalantia humores reſorptos ad truncum venæ portarum deferant, quod ſi hepar obſtructum ulteriorum humorum progreſſum impediat, reſorptio ceſſabit, quin etiam

poſt

poſt ſummas anxietates, vomitumque, humores motu retrogrado ex venis denuo in cavum inteſtinorum urgentur. Unica ſalus in hoc morbo dependet ab iis, quæ obſtructos meatus reſerant. Quem in finem extracta amara, rheum, ſapo venetus, aquæ minerales, & demum cortex chinæ indicantur. Nocere autem adſtringentia patet.

Deferimur ad *diarrhœam cruentam*, quæ cum dyſenteria confundi non debet, cum dyſenteriam & tormina comitentur, & epidemica eſſe ſoleat. Præterea etiam dyſenteria ſæpe adeſt, quin alvus cruenta obſervetur. Diſtat quoque diarrhœa hæc ab hæmorrhoidibus. Poſito in hepate obſtaculo cruor per venas meſeraicas & arterias meſentericas in inteſtina deponitur. Defectus valvularum in venis meſeraicis motum ſanguinis retrogradum eo faciliorem reddit; vaſa autem ſanguinem hunc fundentia aut *rupta* ſunt, aut *dilatata*. Interim bene notandum, hepate etiam non obſtructo, ex ſola videlicet ultimorum vaſculorum meſeraicorum laxitate, diarrhœam hancce cruentam non raro oriri; præterea neque ſemper per vaſa meſeraica ſanguis funditur, poteſt enim is & per ductum choledochum & *Wirſungianum* in inteſtina effundi, ſi nempe aut vaſa hepatis, aut

pan-

pancreatis aut nimium dilatata ſint, aut disrupta. Sanguis per vaſa hepatis in inteſtina delatus, ſi fluxus hic fiat absque febre, ſine fœtore peculiari, ſine alio hepatis vitio ſineque ejusdem calida intemperie, minus periculoſus eſt, & ad diarrhœam cruentam, non autem ad fluxum hepaticum pertinet. Diarrhœam hanc cum ſanguine puro, floridoque per intervalla longiora recurrentem experiuntur ſalutarem homines athletice valentes, qui vitam laborioſam cum ſedentaria commutant, membro quodam mutilati, laute & otioſe viventes, fœminæ plethoricæ, quibus catamenia haud rite fluunt. Hi ter quaterve per annum, purum ſanguinem per alvum excernunt. Præterea diarrhœa hæc ſanguinea, notante *Hippocrate*, febres quasdam judicat, etſi etiam ſubinde ſymptomatica ſit. Præterea dolores præcordiorum, omnis ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum, ſanguis per alvum excretus eodem obſervante *Hippocrate* ſanat. Interim vidit *van Swieten* poſt cardialgias diuturnas ingentem copiam ſanguinis absque ullo dolore per alvum excerni, unde ſecuta ingens debilitas, ſyncope & mors. Sed facile patet, ſalutarem aut noxium eventum ab innoxia vaſculorum dilatatione, vel vero a ruptura vaſorum majorum proveniſſe.

Quar-

Quartanariis, viſcerumque obſtructione & tabe laborantibus diarrhœa ſubinde cruenta accidit, ſed ſine levamine.

In cura hujus diarrhœæ ſequentia ſunt notanda: ſcilicet diarrhœa cruenta, quæ a plenitudine pendet, atque alterius evacuationis ſuppreſſæ vicaria eſt, ſiſti non debet. Illa vero quæ probe dijudicata nil boni præſtat, & potius in damnum vergeret, medelam petit. In ejusmodi diarrhœa cum fructu exhibentur decoctum corticis, aquæ ſpadanæ cum lacte, quæ remedia chronicas aliorum viſcerum remotiorum, quale ab ipſo medicamento immediate contingi nequeunt, hæmorrhagias ſedat, uti multiplici experientia conſtat. Hæcce remedia unica juvant, ſi dilatatio vaſorum hepaticorum, pancreaticorumque ac utriusque viſceris laxitas in culpa fuerit. Si vero *obſtructio* alterutrius viſceris, quæ circulum turbando hæmorrhagiam per alvum ciet, aperientibus, & aquis potiſſimum mineralibus bene ſelectis indigebit. Quodſi vero ipſa horum viſcerum ſubſtantia labem majoris momenti cum febricula lenta habuerit, vix quidquam proderit; blanda tamen antiſeptica, & diæta lactea vitam ægri prorogabunt. Rupta vaſa majora nulla ars facile conſolidabit, ubi ſcilicet ſanguis conferim & cum grumis erumperit.

Bre-

Breviter adhuc conſideranda venit illa *diarrhœa cruenta variolarum*, quam poſt *Avicennam Sydenhamus* obſervavit, eamque merito pro peſſimo ſymptomate habuit, ac fere ſemper lethali. Cauſſa eſt diſſolutio humorum putrida, verſus inteſtina ruentium. Medici vero Edinburgenſes *Medical Eſſay* Tom. III. art. 2. teſtantur, largius datum ſpiritum vitrioli, ipſumque ejus oleum profuiſſe; corticem item peruvianum & alumen, ut quæ ſanguinem cogant, aliquoties vitæ periculum avertiſſe refert *Mead*, In peſte ſanguinis per alvum dejectio mortem proxime inſtantem, nullo abigendam remedio, *Diemerbroeckius* monuit.

Examinanda nunc eſt *diarrhœa atrabilaria*, in qua ſanguis niger inſtar picis liquatæ excernitur, quamve *Hippocrates* plurimis in locis peſſimam aut letalem eſſe, rarius autem bonam aſſerit. Hunc morbum, quem atram bilem, ſive morbum nigrum *Hippocratis* vocant, de quo tam variæ ab omnibus retro ſeculis opiniones circumferebantur, paulo curatius examinabimus. Eum Cl. *Kæmpf* optime deſcripſit ſub nomine infarctus vaſorum ventriculi. Cauſſa eſt vaſa ſanguifera ventriculi & inteſtinorum infarcta, diſtenta, varicoſa, quæ rupta vomitus aut dejectiones

cruen-

cruentas picis inſtar nigras faciunt. Morbus hic occurrit, in ſubjectis quoad temperamentum hœmorrhoidarium, ſecundo in ea ætate, quæ motibus fluxuique hœmorrhoidum obnoxia magis eſt. Vita ſedentaria, victus ex crudis, farinoſis, mœror diuturnus, frequens & gravis iracundia, vita dura, laborioſa, levandis oneribus deſtinata, contuſio ad regionem ventriculi & abdomen. Remedia draſtica, acria, nimium frequens vomitoriorum aut etiam purgantium, licet non draſticorum uſus. Uſus aloeticorum, myrrhæ, magneſiæ, florum ſulphuris nimius. Ingluvies. Uſus pulveris frequentior famoſi *Ailhaud*. Scirrhoſæ indurationes ventriculi, aliaque quæ ventriculum & inteſtina irritare & affluxum humorem illuc invitare poſſunt. Ulcera primarum viarum, dyſenteria male curata. Vermes inteſtina rodentes vaſorum ſtricturas, motumque ſanguinis turbatum, varices & demum iis aut eroſis aut ruptis vomitus & diarrhœam atrabilariam producentes. *Hoffmannus* & *Kæmpfius* plures morbos viderunt, poſt febres intermittentes. Inter frequentiores cauſſas reponenda eſt emanſio menſium ſive ea ex cauſſa morbida, ſive ex ingruente ſenio. Frequenter quoque *morbus niger*, indeque oriunda picea per vomitum & diarrhœam evacuatio

tio a ſuppreſſis hæmorrhoidibus. Hæmorrhoides enim & morbus niger unus idemque morbus ſunt, & ſola ſede inter ſe differunt. Vinoſa diæta frequenter quoque morbum nigrum adducit, præterea etiam laxitas ſola vaſorum ventriculum & inteſtina perreptantium.

Symptomata morbi adhuc oculti ſunt dolores ventriculi præcipue poſt paſtum, poſt aſſumpta vinoſa, ſpirituoſa, aromatica, qui adſunt ſine ſarcina ventriculi, ſine obſtructorum ſuſpicione, ſine bilis vitio, ſine peculiari nervorum irritabilitate, locum aliquoties mutantes, renes præcipue imo totam ſpinam dorſi in conſenſum trahentes, cum ſenſu caloris interni, incremento dolorum poſt purgationes, aut vomitus, macilentia, decoloratione, debilitate & minantis deliquii ſenſu frequenti. In homine plethorico, viro quondam hæmorrhoidario, fœmina & vitioſe olim menſtruante, aut circa 60 ætatis annum conſtituta. Hiſce ſignis magnum pondus additur. ſi dolores venæ ſectione leventur, item hæmorrhagiis, diæta inſulſa, vegetabili, medicamentis lenientibus. Morbus longus eſt, ſæpe per annos affligit, donec vaſa ſcilicet rumpantur. Ante vaſorum rupturam conveniunt, venæ ſectio, victus tenuis vegetabilis, absque ſpirituoſis, & aromaticis, ſerum lactis,

me-

medulla caſſiæ. & præſertim hirudines ano adplicatæ, quæ mirum lenimen dolorum afferunt. Vaſis vero jam ruptis, durante ſanguinis picei evacuatione conveniunt, quies in lecto, 2 cremor hordei vel avenæ, 3 emulſiones amygdalinæ, copioſus potus, parca tamen ſed frequenti doſi, 4 bis de die molle enema. 5. Limonadæ addito pauxillo ſpiritus vitrioli. Superato autem hæmorrhagiæ periculo prophylaxis exigit, ut plethora præcaveatur, & roborantia ſine ſtimulo agentia adhibeantur.

Miſſa diarrhœa atrabilaria convertimus nos ad *diarrhœam purulentam*, *ulceroſam* & *ſanioſam*. Pus & ſanies quando per alvum excernuntur cum excrementis, aut geneſin ſuam habent in inteſtinis ipſis, aut ex aliis locis corporis ad inteſtina defluunt. Si in ipſis inteſtinis nata inflammatio intra triduum non reſolvatur, ea in abſceſſum tranſire poteſt, quo rupto pus effuſum diarrhœam purulentam facit.

Sanatur hæc diarrhœa ipſius ulceris curatione, quæ tenuiſſimo victu, aquis medicatis, lacte, ſero lactis; decoctis vulnerariis, mellitis, lenioribus balſamicis admiſtis, interdum oblinitur; ſi videlicet ambitus ulceris non fuerit nimis magnus, nec viam ſibi in ca-

vum abdominis penetraverit, eroſa ſcilicet inteſtinorum ſubſtantia. Opiata hæc diarrhœa reſpuet. Non raro autem generatur abſceſſus inteſtinorum prægreſſa dyſenteria, diu durans, gravibus torminibus & tandem inteſtinorum inflammatione ac ulceroſa excoriatione ſcripta. Sæpius juvit infuſum vulnerarium cum lacte & ſyrupo balſamico, clysma ſimile admiſto ovi vitello & therebinthina, ac melle tandem decoctum corticis peruviani cum melle roſarum & oleo myrrhæ per deliquium, ac victus vegetabilis; nocent narcotica. Quodſi latens cancroſum ulcus diarrhœam excitet, prognoſis triſtiſſima fieri neceſſario debet. Ad diarrhœam purulentam referri debet profluvium puris & ſaniei cum teneſmo ex ulcere vel fiſtula inteſtini recti, a ſtaſi ſanguinis hæmorrhoidalis enata.

Contingit, ut pus aut ſanies ex alia corporis parte adveniens ad inteſtina ruat. Si collectiones purulentæ reſorbentur, nonnunquam & felici ſæpe cum eventu per alvum evacuantur: pus ex ulceribus externis reſorptum ſubinde phthiſin lethalem, ſubinde vero ad inteſtina delatum diarrhœam purulentam rarius ſanabilem, ſæpius vero funeſtam producit. Facilius autem & longe frequentius huic

pu-

purulento per alvum fluxui materiam præbet pus reſorptum ex pulmonibus abſceſſu, vomica, ulcere laborantibus in phthiſicis, pleuriticis, peripneumonicis, empyematicis. Hæ autem diarrhœæ fere ſemper mali ominis ſunt. Vidit quidem Meibomius purulentis dejectionibus ex vomica deſperatos convaluiſſe. Rara interim ejusmodi experimenta ſunt.

Sed omnium frequentiſſime ſcaturigo diarrhœarum purulentarum latitat in viſceribus infra ſeptum transverſum in vicinia inteſtinorum conſitis, & in hepate potiſſimum ac meſenterio. Si ſcilicet in hepatis profundiori ſubſtantia ob humorum ſtagnationem pus generetur, id quod monente *Hoffmanno* absque prægreſſa inflammatione fieri poteſt, id nunquam boni ominis erit. Nam pus hoc cum bile remixtam amurcam *Hippocratis* dictam, ſive putridiſſimam ſaniem exhibebit nulla ratione corrigendam. Hinc vomica, abſceſſus & ulcera hepatis, etiamſi pus ſuum ablegent per ductum choledochum ad inteſtina, indeque per alvum eliminent; plerumque tamen colliquatione humorum tabem & hydropem poſt ſe trahunt. Abſceſſus autem in ſuperficie hepatis poſiti & extrorſum vergentes teſtibus *Hippocrate* & *Aretæo* ac *Hoffmanno*, interdum, ſi pus bonum & paucum effluat, ſanan-

tur. Sed in hoc caſu ulcus videtur hærere potius in tunica ut ait *Hippocratis* vel inter membranam hoc viſcus cingentem, & ipſius carnem, ut *Bonetius* aſſerit. Si vero ipſa hepatis ſubſtantia occupetur, licet extrorſum pus vergat, incurabile tamen utplurimum eſt. Hepar antea ſcirrhoſum, nunc ſcirrhis in cancros abeuntibus cancroſam imedicabilem diarrhœam producit. Eadem vix non de pancreatis & lienis abſceſſibus, aut cancro, inde nata diarrhœa dici poſſunt, quæ de abſceſſu & cancro hepatis dicta ſunt. Raro enim aut nunquam radicalem medelam admittunt. Verum mitius aliquando agitur cum illis, in quorum meſenterio, quacunque ex cauſſa abſceſſus natus eſt, qui pus ſuum inteſtinis infundit, idque benignius, album, non acre, non nimia copia, neque diuturnior ejus fluxus fuerit. De meſenterii abſceſſibus *Sennertus*, *Meibomius*, & *Hoffmannus* legi merentur. In his malis confert lac aſininum, caprinum, ovillum. Solo ſero lactis & infuſo herbarum vulnerariarum ejusmodi diarrhœam per tres jam menſes durantem *Hoffmannus* curavit. Egregius quidem practicus (*Tralles*) aquas ſelteranas cum lacte, & balſami peruviani pauxillum cum melle, victum vegetabilem & equitationem profuiſſe refert. Ex his omnibus

pa-

patet, diarrhœam, quæ notante *Cl. Gortero* ſit a pure, putredine, corruptione, neque ſiſtendam, neque augendam eſſe, ſed curato aut levato morbo principe, minuendam.

Sub nomine *diarrhœæ colliquativæ* non intelligimus diarrhœam diuturnam a quacunque cauſſa provenientem emaciantemque, licet talis diarrhœa a quibusdam medicis colliquativa dicatur, & curata legitur. Vera diarrhœa colliquativa oritur ex præcedente fluxu alvi purulento, ulceroſo, putrido. Si enim pus alicubi in corpore hæreat, atque a vaſis bibulis reſorptum humoribus reliquis miſceatur, hi in liquamen tenue & acre ſolvuntur, & ad inteſtina per extremos apices arteriæ cœliacæ & arteriarum meſentericarum depluunt, & diarrhœam excitant *vere colliquativam*. Cauſſa colliquationis in phthiſicis, hydropicis, conſumatis, ſphaceloque laborantibus ordinarie omnem artis potentiam eludit.

Ad diarrhœam colliquativam etiam pertinet illa, quæ immoderatum mercurii uſum ſequitur. Oritur hæc ob ſolutos a remedio mercuriali humores, quando v. g. in curanda lue nimiæ nimisque cito repetitæ mercurialium doſes loco phtialysmi, pancreatis & glandularum inteſtinalium ſalivationem movent,

vent, non obſervato ſimul juſto regimine. Ejusmodi diarrhœa omnem adhibitam in curatione luis venereæ medelam reddit irritam, cum medicamentum mercuriale nimis cito ex corpore extricabatur, antequam videlicet id vires ſuas ibidem exſererit. Præterea ſerum acre ſolutum, quod linguam alias gingivas & fauces erodere ſolet jam ad inteſtina delatum graviſſima ibidem tormina faciet. In ejusmodi caſu potibus & clysmatibus emollientiſſimis in auxilium vocatis, opium certe princeps remedium eſt, unicumque. Sunt quidem practici, qui diarrhœam hanc præcaveant, ſingula veſpera aliquid theriacæ exhibent. *Aſtruc* ſuadet pariter anodyna quæ præmiſſa venæ ſectione, cum oleo amygdalarum, aut cum lacte exhiberi vult. Quibus jungi adhuc clysmata emollientia debent.

Reſtat diarrhœa a retropulſa vel retrocedente materia arthritica, podagrica, rheumatica, ſcabioſa, materia exanthematica, ulceroſa. Materia arthritica aliquando in corporibus robuſtioribus per alvum exhibitis, & paroxysmum arthriticum feliciter antevertit, quo in caſu fluxus alvi modum non excedens neutiquam ſiſtendus erit. Si vero homini arthritico ex perverſa diæta, ſordibus in cavo inteſtinorum collectis diarrhœa ſuboriatur, ea blan-

blanda catharſi, methodoque ſuperius tradita curari debet; cavendum tamen ne aut effuſior aut diuturnior evadat, ne materia arthritica ad interiora trahatur. Quodſi ſub ipſo paroxysmo diarrhœa eveniat, dolore partium externarum ceſſante, rubore diſparente, tumore ſubſidente, præter alia, quæ humores ad ſuperficiem corporis ablegent, opiata ſimul indicantur.

Superſunt adhuc diarrhœæ illæ febrium acutarum comites, quas vulgo in *criticas* & *ſymptomaticas* diſpeſcunt, ſed quibus merito aliam adhuc addit *Ludwig* in diſſertatione de diarrhœa febrium acutarum, ſcilicet *ſpontaneam*. Hæc ex ejus mente oritur, ex collecto jam ante invaſionem febris apparatu crudo in inteſtinis, cujus per alvum excretio oritura nihilominus fuiſſet, etſi nulla febris ſecuta fuiſſet. Tales diarrhœæ ſpontaneæ in initio & progreſſu morbi obſervantur, ſeduloque a ſymptomaticis diſtingui debent cum illæ ſine morbi augmento adſint, hæ vero ſemper morbum exaſperent. Hinc adparet, quanti interſit haſce diarrhœas ab ſe invicem rite dignoſcere. Quodſi ſordes primarum viarum ad initium morbi præſentiæ ſuæ ſigna exhibeant, in ipſo febris principio purgatione artificiali opus eſt, natura eandem haud molien-

liente. Haſce autem ſordes adeſſe conſtat ex nauſea, cibi faſtidio, lingua impura, morſu oris ventriculi, anxietatibus, ſi in ſtomacho quædam bilioſa, colligantur, vel etiam ſi pituita eo ſe conferat, ſi præcordia tumeant, ſi in imo ventre dolores ſint, ſi caput grave ſit, oculi caligentes. Natura tunc turgere dicitur, optimeque alvo leniter ducta eliminatur.

Symptomatica autem dicitur *diarrhœa*, quando materies febrilis vel adhuc cruda, vel ſemicocta, vel jam corrupta, motu & calore febrili mutata ad inteſtina ruit, ibique mole & acrimonia ſua diarrhœam excitat; aut quando ex viſcere quodam materia bilioſa, purulenta, ichoroſa, ad vias primas depluat, & per alvum eliminatur. Id fieri ſolet in initio & augmento morbi ſubito, & cum graviſſimis ſymptomatibus in toto corpore comitatis. Alvum tunc deponi ſolitam ita *Hippocrates* deſcribit: valde aquoſum, aut album aut ex viridi flaveſcens, aut vehementer rubrum aut ſpumoſum dejicere, mala hæc omnia. Malum quoque eſt exiguum & glutinoſum & album & ſubpallidum & læve. His autem magis lethalia fuerint nigra, aut pinguia, aut livida, aut æruginoſa, aut mali odoris.

Critica autem *diarrhœa*, quam certo adfuturam *Nibell* ex pulſu intermittente docet,

eve-

evenire ſolet materia febrili coĉta. Fiunt autem criticæ evacuationes maxime per alvum ex ea ratione, quia poſt ſuperficiem corporis cavum inteſtinorum ampliſſimo gaudet volumine, quod ideò aptiſſime totam materiæ coĉtæ molem excipere valet, idque eo magis, cum etiam alias quidquid œconomiæ naturali inimicum eſt, alvo excerni ſolet. Dignoſcitur hæc critica per alvum evacuatio ab alvi ſymptomatico fluxu, ex tempore, quo hæc excretio contingit, ſcilicet prægreſſa coĉtione, & die quodam critico, cum tolerantia facili, & morbi levamine inſigni. Sic aut materia ante febrim collecta, eamque producens, aut motu febrili primum produĉta, ſalutariter per alvum abit. *Fernelius* omnibus criticis evacuationibus in febribus alvi ſolutionem præfert. Imo ſi etiam aliæ evacuationes criticæ fuerint prægreſſæ, tamen alvus ſponte ſuperveniens & critica omnimodam criſin abſolvit. Quodſi poſt urinas & ſudores criticos alvus hæc non ſuperveniat ſua ſponte, opus erit, ad præſcindendas recidivas a ſuperſtite febrili materia, alvum leni pharmaco ducere.

Morbi febriles plurimi hac evacuatione ſolvuntur; nam ſynochi multæ, ac building bilioſæ ac ardentes febres criticis diebus alvo judicantur;

tur; in phrenitide & angina ſæpe alvi fluor bonus. Peripneumonia, & pleuritis, hepatitis alvi fluxu bilioſo ante quartum diem non raro levatur; inteſtinorum inflammatio, dyſenteria blanda ſubcruenta judicari ſolet. In febre catarrhali benigna, in febribus meſentericis, in malignis, in febre purpurata, in morbillis, in variolis diarrhœa ſæpe eſt critica. Diarrhœa talis cohibenda certe non eſt, niſi modum excedat quod tamen rarius accidit.

In curatione diarrhœæ ſymptomaticæ attendendum, an ab accumulatis ſordibus primarum viarum proveniat, tunc autem ea ad *ſpontaneam* pertinebit, an vero radii inflammatorii, ut phraſi *Sydenhamiana* loquar, e maſſa ſanguinis per arterias meſenteriacas ad inteſtina delati eadem ad excretionem ſollicitet. Certum enim eſt præſente diatheſi inflammatoria alvi fluxum ſubinde proritari. Huic autem ſiſtendo nil æque conducit, ac venæ ſectio, decoctum hordei, ſerum lactis, emollientia omnis generis & refrigerantia; cum e contrario etiam leniſſima cathartica exitialia fuiſſe non raro viſa ſint. Syrupi ſubacidi indeque paratæ potiones antiphlogiſticæ, addito nitro, uti alias alvum reddere laxam valent, ita in hoc caſu refrigerando eandem contem-

pe-

perant. Opiata in tali diarrhœa ſummopere nociva forent.

Verum enim vero non rara cauſſa *diarrhœæ ſymptomaticæ in febribus eſt bilioſa acrimonia ad inteſtina confluens.* Non hic loquimur de bile acri jam ante morbum collecta, febremque vel cum vel ſine diarrhœa cauſante. Sed ſermo eſt de acrimonia bilioſa, quam ipſa generat febris, motu, caloreque ſuo. Narcotica nocent, proſunt demulcentia, hordeacea, avenacea, ſubacida, ſaponacea, emulſiones non nimium ſaturatæ, utpote facile rancescentes, quin & nitrum, quod & in hac bilis conſtrictione, & in phlogiſtica diatheſi ſanguinis mire confert. His addi clysmata posſunt. Quodſi teneſmus adſit, clysma ex hydrogala & ſemine lini contuſo paratum ſæpius profuit.

Eſt & alia *diarrhœa ſymptomatica, ob præexiſtentem inteſtinorum laxitatem*, uſu nitroſorum, acidorum, ſaponaceorum, aut emulſionum inducta; hæc quidem remedia ab æſtu, febri omnino indicatiſſima ſunt, etſi nihilominus ob diarrhœam contraindicentur. Hoc in caſu parca horum ſaponaceorum doſis ſit Sumantur potius decocta & juſcula ex cerealibus parata, hisque exiguæ nitri portiones involvantur, ne id ſtimulo ſuo inteſtina vellicet.

cet.

cet. Deinde & abſorbentia addi debent, quæ ſtimulum acidum invertant, & fermentationem a ſyrupis aſſumptis ex calore inductam impediant, his jungi debent clysmata demulcentia & ſubadſtringentia, in graviori malo theriaca foris adplicata cum vino rubro, imo opium interne datum, niſi calor ſummus & caput turbatum eorum uſum vetaret, in auxilium vocari debet.

Eſt & alia febrium diarrhœa, quam jactitatio, inquies, denudatio corporis, potus frigidus in æſtu febrili affatim hauſtus, inde nata perſpiratio ſuppreſſa accerſit. Fluxus hic alvinus ex ſua natura opiata ferret, niſi febris ipſa contraindicaret. Juvant epithemata calida ad abdomen adplicata, potulenta calida, uti infuſum theæ, tecto probe corpore aſſumenda, clysma modice roborans, ex lacte cum corticibus granatorum cocto. His nil proficientibus, ad opiata caute exhibenda confugere tandem medicus debet.

Non reticenda *diarrhœa febrilis eſt ab aphthis* nata. Interdum diarrhœa, aut dyſenteria ob fomitem in inteſtinis hærentem non excluſum, ſed aut adſtringentibus aut opiatis retentum aphthas progignit. Verum etiam non raro aphthæ ob quamcunque cauſam in febribus natæ diarrhœam excitant, quando ſcili-

licet decidentibus aphthoſis cruſtis humores in patula vaſcula copioſius ruunt, & per alvum elabuntur; *fluxus* hic alvi vires morbo prægreſſo jam dejectas, penitus ſæpe convellit & non raro mortem inducit. In hoc caſu poſt potulenta nutrientia, tenuia, avenacea hordeacea & lac, rheum toſtum, corticis peruviani decoctum prius dilutius, dein ſaturatius, aquæ ſpadanæ, lacte remixtæ aliquando profuere. Attamen & opium & ſyrupum papaveris dolores, ab denudata & excoriata tunica villoſa oriundi ſibi poſcunt.

Agmen diarrhœarum claudat illa, quæ a putrida viſcerum corruptione poſt eorundem inflammationem hepatis maxime, in febribus naſcitur. Hæc autem diarrhœa omni arte medica ſuperior eſt.

DYSENTERIA. a)

Dyſenteriam latius ſumptam medici vocant alvi fluxum acerbis doloribus inteſtinorum ac teneſmo ſtipatum; hinc omnis diarrhœa torminoſa & teneſmodea a ſtimulo quocunque acri, muriatico, acido, putrido, atrabilario, ichoroſo, cancroſo, enata dyſenteria a variis autoribus appellari conſuevit. Nos

ve-

vero, dum de dyſenteria agimus, illum ſpeciatim morbum conſideremus, qui plerumque & ordinario, ſub æſtatis finem, autumno invadere ſolet, & nonniſi appropinguante hieme miteſcit, quique epidemicus & inteſtinorum graviſſimo dolore, convulſionibus, moleſtiſſimo tenesmo, ſordium mucoſarum, linioſarum, ſanguine plus minus tinctarum, pure & ſanie remixtarum dejectionibus affligit.

Cauſſa eſt materies acris bilioſa, putrida, corroſiva. Calor nempe æſtivus ſiccusque copioſiori bilis generationi favet, ejusque acrimoniam exaltat; quamdiu autem perſpiratio libera eſt, attenuata hæcce materies per corporis ſuperficiem difflatur. Verum ſub exitum æſtatis, autumnoque veſpertina frigora incautos facile lædunt, materiemque acrem ad interiora repellunt, perſpiratione ſcilicet ſuppreſſa.

Symptomata ſunt: horror aliquòt horarum hominem antea ſanum corripit. Laſſitudo, tormina, hisque per aliquas horas durantibus, accedente vertigine, anxietate, nauſea, vomituritione, omnibus ſignis affectarum primarum viarum, ſuccedit tandem evacuatio per alvum parca, ſed frequens, flava, deinde mucoſa, ſæpe ſanguinea, teneſmodes. Pulſus parvus, ſed ad initium minus frequens.

Fœ-

Fœces ſubinde caſtanei coloris, virides, nigræ fluidiſſimæque. Quamlibet alvi depoſitionem tormina graviſſima præcedunt. Ob graves tenesmos tandem inteſtini recti prolapſus. Subinde ſecedunt grumi ſanguinis. In graviſſimo malo inteſtina inflammantur, ſuppurant, gangræneſcunt. Gangrænæ ſuccedit ſingultus, delirium, pulſus admodum celer & exilis, ſudores frigidi, animi deliquia & mors.

Attamen plerumque mitior morbus eſt; multi febre omnino carent, ſitique.

Curationis ſcopus primarius in cita evacuatione per vomitum poſitus eſt. Huc facit tartarus emeticus aut ſeorſim in pulvere, aut aqua ſolutus. Juvat itidem radix ipecacuanha ad grana xxxv. data, ad ſcrupulum unum cum grano uno tartari emetici. Diu tanquam ſpecificum hæc radix habetur, licet ſola ſua virtute emetica proſit. Uſum ejus ab Americanis Braſiliæ ſcilicet incolis didicimus. Radix hæc ſequenti etiam ratione adhiberi poteſt. Scilicet drach. ij radicis ipecacuanhæ veſperi in aquæ fervidæ unc. jv. infunduntur. Mane ſequenti facta colatura, uno hauſto hauritur tota doſis. Eandem radicem jam heri infuſam binis ſubſequentibus diebus eadem adhuc ratione infundunt,

co-

colaturamque mane hauriunt. Inde primo die vomitiones aliquot producuntur, die altero paucæ & modicus admodum, tertio demum die nullus amplius vomitus oritur. Hæc eſt methodus Braſilienſium. Quodſi vomitorium actionem ſuam abſolverit, dolores ut plurimum valde remittunt, alvus rarior fit. Decoctum radic. graminis, hordei mundati, Tamarind. tam ante quam poſt vomitum exhiberi debet. Die ſequenti poſt aſſumptum emeticum ſumitur mane drachma media rhei, hisque omni altero die, donec & tormina ceſſaverint, & alvus naturalis ſequatur. Quod ſi factis nihilominus evacuationibus tormina ſæpius redeant, conveniet medicamentum mucilaginoſum e. g. ſaturatum decoctum rad. Altheæ, fol. Altheæ & Malv, item Gummi arabicum aqua ſolutum, emulſio. Quodſi ne ſicquidem dolores ſat mitigari poſſint, veſperi anodynum exhiberi poteſt, ita tamen ut mane dari pauxillum rhei, quod & alvum opiato pharmaco ſopitam referet, & reliquias materiæ dyſentericæ expellat, & ſimul debilita inteſtina roborat, exhibendum erit, interdiu vero medicamento mucilaginoſo abraſus inteſtinorum mucus reſtitui debet. Abſoluta morbi curatione, recidivas præcavere

opor-

oportet eo magis, quod vix ullus morbus tam facili negotio ac dyſenteria revertatur.

Diæta leniter roborans, medicamenta roborantia, corporis exercitium, abdominis frictio, & equitatio ad reſtituendum viſcerum relaxatorum tonum aptiſſima, nota ſunt. Ceterum ſequentia adhuc obſervanda ſunt; diverſi autores diverſas admodum methodos depredicant in curanda dyſenteria adhibendas, quasve propria experientia in malo ſæpe epidemico præ ceteris utiliores inveniunt. Sunt qui venæ ſectionem & methodum antiphlogiſticam adhibent, cum lenioribus tantum purgationibus. Alii vero aut noxiam aut ſaltem inutilem venæ ſectionem eſſe aſſerunt. Curationis diverſitas pendet a natura febris, quæ dyſenteriam comitatur. Plerumque aut nulla aut exigua febris adeſt, eoque in caſu venæ ſectio aut nocet aut ſaltem neceſſaria non eſt, niſi plethora peculiaris illam indicet. Si vero epidemia talis fuerit, ut *febrem inflammatoriam* dyſenteria ſibi comitem habeat, venæ ſectiones & methodus antiphlogiſtica ad initium eousque in auxilium vocanda eſt, donec difflata phlogoſi evacuantia ſuperius deſcripta locum habeant.

Quodſi *febris bilioſa* a nobis ſuo loco deſcripta dyſenteriam comitetur, methodum his-

ce febribus bilioſis accomodatam adhibere neceſſe eſt. Optime conducit tartarus emeticus aqua ſolutus ad initium propinatus, dein purgantia, potus ex tamarindis & cremore tartari, quos rheum excipiat, & demum lenia tonica, venæ ſectio per ſe non indicatur.

Dyſenteriam ſæpius legimus *febri malignæ petechiali*, *caſtrenſi* junctam. Hæc utplurimum venæ ſectionem ſaltem repetitam non fert. Prodeſt *primo* emeticum ex radice ipecacuanhæ dein rheum, eaque tandem medicamenta, quæ in tractatione de febri maligna petechiali laudata ſunt. *Secundo* ſi per plures jam dies, nullis aut male indicatis remediis adhibitis, morbus duraverit, eodem omnino modo tractandus erit, ac ſi recenter invaderet. *Tertio* contingit, ut curatus jam morbus poſt aliquot dies denuo, licet longe mitior, recurrat, præcipue ſi æger auræ frigidiori ſe expoſuerit, aut in leges diætæ peccaverit. Sufficiet tunc unam alteramve rhabarbari doſin aſſumpſiſſe.

Viſa eſt non raro dyſenteria cum febre *intermittente conjuncta*. Hoc in caſu primo dyſenteriam juxta methodum, ſuperius traditam, deinde vero & febrem ipſam intermittentem curare oportet. *Quarto* notandum purgantia ſola raro effectum ſortiri bonum,

cum

cum materies dyſenterica circa ventriculum, & inteſtinum duodenum primariam ſibi ſedem figere ſoleat, unde continuo pauxillum hujus materiæ ad inteſtina inferiora deſtillat, eademque acri ſuo & dolorifico ſtimulo ad excretionem ſollicitet. Emeticum & citius & certius, minorique cum incommodo materiam morbi excutiet, cum e contrario purgans materiæ hujus partem per totum inteſtinorum canalem deducat, ejusque ad vias ſecundas reſorptioni potius, quam per alvum excretioni inſerviat. *Quinto* Vitrum antimonii ceratum, quod prima vice a Parocho quodam nomine *Steele* uſurpabatur, deinde a *Youngio* & demum a *Pringlio* aliisque in uſum trahebatur, nihil ſpecifici habere videtur in curatione dyſenteriæ. Sua vi emetica prodeſt ſolummodo, quæ tamen adeo inſecura plerumque eſt, ut ipſi hi hujusce remedii laudatores variis cum cautelis id exhibeant. Vitrum ſcilicet antimonii ſumme draſticum magis minusque cera involvi poteſt. Quæ quidem res adeo variat, ut de doſi deque ſecuturo effectu nunquam ſecurus eſſe poſſis præſtare igitur arbitror tutioribus remediis e. g. Radici ipecacuanhæ tartari, emetici uti. *Sexto* Si aliquid uſum emetici contraindicet, confugere oportet ad rheum a Cl. *Degnero* adeo lauda-

tum, ad potionem ex tamarindis, ſenna, manna, rheo & ſyrupo roſarum ſolutivo confectam. Sunt qui in initio & progreſſu morbi tamarindos & imprimis mannam, quam *Sydenhamus* maximopere in hoc morbo commendat, rhabarbaro præferant, circa finem morbi ſolummodo rheo utantur, cum & tonica ſimul virtute polleat. Manna præter gummoſum, mucilaginoſum & oleoſum principium gaudet ſimul multo ſale acido, hinc & incraſſando & demulcendo & evacuando prodeſt, & acrimoniæ bilioſæ e diametro adverſatur. Circa finem vero morbi manna exhibita tormina facile revocat, relaxatisque inteſtinis non bene convenit.

Septimo Cum opiata, theriacalia, vulgo, etiam a medicis non paucis in ſananda dyſenteria propinentur, juvat paulisper disquirere, quid boni morbo eorum uſus afferre posſit, an & ſub quibus tandem conditionibus opiata exhibere queant. Narcotica in principio morbi exhibita neceſſariam adeo fœcum evacuationem prohibent, materiam dyſentericam vi ſua ſudorifera ad vias ſecundas urgent. Inde a cohibito dyſenteriæ fomite anxietates præcordiorum, ſingultum, inflammationes, abſceſſus, febres, convulſiones, aphthæ aut varia mala chronica originem ducunt.

Ni-

Nihilominus factis ſufficientibus debitis evacuationibus, ſi tormina gravia in homine præcipue valde irritabili perſiſtant, ſi metus ſit, ne a cito majori humorum per ſtricturas dolorificas affluxu ad inteſtina inflammatio oriatur, opiata una cum medicamentis demulcentibus, inviſcantibus, antiphlogiſticis, ore & ano ingeſtis propinari poſſunt & ſæpe debent, eorum exhibitio evacuationibus mane exhibitis veſperi perutilis erit. Patet, hoc in caſu ſimplex opium calidiſſimis remediis theriacæ, mithridatio, philonio &c. longiſſime præſtare. Facile etiam ex ſupra dictis conciliari poſſunt ſententiæ auctorum uſum opii in dyſenteria aut reprobantium aut commendantium. *Cl. Sydenhamus* nimius forte in exhibendo dyſentericis laudano fuit. Opii ergo exhibitionem flagitant dolores graviſſimi graviora adhuc mala minitantes, ſenſibilitas ſumma denudatæ cruſtæ villoſæ, moleſtiſſimus teneſmus omnes humores ad inteſtina derivans & per alvum emungens, evacuata licet materia dyſenterica, excretiones alvinæ continuæ expurgato licet apparatu dyſenterico, ex ſola contracta conſuetudine perſeverantes. Item ſi in initio morbi tam frequentes, tamquam copioſæ dejectiones ſint, ut emunctis omnibus vix non liquidis leipothymiæ, ſpasmi,

mi, convulſiones, & ex vaſorum inanitione mors inſtet, certe narcoticum cito & largiter propinandum eſt, ut ruentium ad inteſtina humorum impetum ſuſpendat. Patet autem emollientia, inviſcantiaque ſimul jungi debere.

Octavo. In morbo jam multum progreſſo quid agendum ſit, ſupra narravimus; verum ſi in adultiori hoc morbo dejectionibus admodum numeroſæ cum inteſtinorum gravi cruciatu, non ſolum ſanguine ſtriatæ, ſed vere cruentæ, ſanguine multo, ſinceroque graves, inteſtinorum eroſiones vulneraque indicent, quæſtio naſcitur, an, non dico, emetica, ſed ſolummodo purgantia, eaque leniſſima ex rheo, manna & tamarindis, pulpa caſſiæ, tamarindorumque tuto exhiberi in hoc morbi ſtadio poſſint? Licet enim blande agant, ſtimulo tamen non carent, eoque ſolo alvum ſollicitant. Hanc morbi faciem *Sydenhamus dyſenteriam confirmatam* vocat, traditque methodum, quo uſus ipſemet plurimos ex orci faucibus eripuiſſe ſe aſſerit. Nempe in hoc morbi ſtatu miſſis ambagibus ſtatim ad narcotica confugiendum, ad emollientia incraſſantiaque, quibus ſolis aut curatio perficitur, aut ſaltem induciæ obtinentur, ut poſtea ſecurius dari lenio-

niora evacuantia poſſint, exhibito tamen ſemper ad veſperam laudano.

Nono. Memorandæ adhuc dyſenteriæ illæ, quas *Sydenhamus*, ac indolis magis ſubtilis ſpirituoſas fuiſſe ait, ita ut non prompte catharticis cederent, ſed remedia flagitarent, quæ ſanguinem & acres humores ad inteſtina confluentes contemperarent diluerentque. Memorat quoque laudatus auctor, quæ evacuantium plenariam omiſſionem & ſolius laudani uſum deſiderant. Forte dyſentericæ illæ, in quarum curatione *Lentilius* & *Wedelius* plus diaphoreſi quam purgationi favebant, ad hanc *Sydenhami* ſpeciem pertinebant.

Decimo Ex hucusque dictis facile colligitur, quando roborantibus & adſtringentibus in dyſenteria locus ſit, quis uſus ſit gummi arabici, tragacanthi, ſpermatis ceti, ceræ lacti incoctæ, radicis ſalap, amyli &c.

Undecimo. Univerſale præjudicium eſt, fructus horræos dyſenteriam producere. Verum fructus hi maturi ſaponem vegetabilem continent, qui ſpiſſam, tenacemque bilem ſtimuli dyſenterici receptaculum optime ſolvit, excretionique aptam reddit, obſervata ſæpe eſt ab uſu fructuum horæorum ſalutaris diarrhœa, dyſenteriam prægrediens, aut præſentem ſanans. Eſu copioſo uvarum dyſenteria

non

non raro curata legitur. Id ſolum cavendum, ne ſub finem dyſenteriæ, educta jam omni materia morbi præſens inteſtinorum laxitas, ſolis jam roborantibus curanda, fructu horæorum uſu augeatur, aut ſaltem ſuſtineatur.

Duodecimo. Peſſimus inter ruſticos abuſus invaluit, dyſentericum alvi fluxum deglutito alumine ſiſtendi; inde indurationes variæ, ventriculi; inteſtinorum hepatisque inflammationes, ejusque triſtes ſequelæ, morbi pectoris, dolores chronici articulorum oriun-untur. Uſum theriacalium & adſtringentium ſequitur plerumque dira arthritis.

DYSENTERIA. b)

Dyſenteria eſt crebra, torminoſa, tenesmoidea dejectio alvina. Græcis ſonat difficultas inteſtinorum.

Diviſionem varii variam ſtatunt. Sic e. g. aliqui dividunt in *albam* ſive mucoſam, in *cruentam*, in *carnoſam*. Verumtamen in eadem dyſenteriæ ſpecie diverſi coloris materies excernitur *alba* nempe *mucoſaque*, ramentoſa quaſi carunculæ, ſeu exiguæ portiones carnium cruenta materies.

Conſiderandæ primo ſunt diverſæ *dyſenteriæ ſpecies*. Dein *effectus* cujuslibet dyſenteriæ, qui ſubinde ipſam dyſenteriam pravitate ſuperant.

Quin-

Quinque *ſpecies* noſco ſedulo abs ſe invicem diſcriminandas. Prima eſt

1) *Dyſenteria inflammatoria.* Evenit ſubinde, ut quacunque ex cauſſa *levis* inteſtinorum inflammatio oriatur (gravior enim, ſeu vera enteritis alvum potius claudet) præſente hac levi inflammatione humores copioſius affluent ad locum irritatum, ſicque inteſtina more dyſenterico irritabuntur, & ad crebras, torminoſas, teneſmoideas, dejectiones ſollicitabuntur.

Enteritis hæc levior, ſeu dyſenteria hæc inflammatoria nonnunquam verna præcipue tempeſtate eſt æque epidemica, ac pleuritis.

Ipſimet jam intelligimis, quare tanta opinionum inter autores rei medicæ diverſitas regnet in curanda dyſenteria. Quare aliqui obſervationibus edocti rejecerint omnem aliam curandi rationem, præterquam antiphlogiſticam, quare venæ ſectiones repetitas, emollientia cataplasmata, enemata, & potus mucilaginoſos fere ſolos laudarint, reprobatis quibuscunque aliis vel evacuationibus &c.

Secunda ſpecies eſt *dyſenteria æſtiva*, autumnalis, epidemica, caſtrenſis.

Hæc menſe auguſto, calidiori præcipue viget, oritur circa medium Julium, adulto & ad finem vergente autumno emoritur; atque

his

his potiſſimum temporibus ſuam exercet dictaturam.

Dyſenteriam hanc, utpote ſubinde gravem, plurimumque perniciofam curatius deſcribemus, & quædam, quæ hucusque prudenti lectori movere dubia debebant, non infortunate fortaſſe explicabimus. Ut ordine procedamus, ſcire juvat, quod hanc ipſam dyſenteriam æſtivam in triplicem diſpeſci ſpeciem debemus.

Vel enim *dyſenteria* eſt ſolum *bilioſa*
vel eſt *putrida*
vel *maligna*.

Dyſenteria bilioſa ea eſt, quæ gravibus ſymptomatibus caret, febrem nullam, aut levem habet, eam inſigniter per vices remittentem ita, ut ipſa quoque dyſenteria non uno tenore perſtet, ſed nunc multo mitior ſit, nunc gravior.

Dyſenteria ergo ferme febre carens, aut leviori, eaque bilioſa ſolum ſtipata erit *dyſenteria ſimplex bilioſa*.

Quodſi vero febris gravior adſit, & continua potius, quam remittens, ſi febris bilioſa, multum jam alienæ materiei intra ſanguinis alvum immiſerit, ita ut febris concomitans *putrida* potius, quam *bilioſa* debeat appellari, ipſam quaque dyſenteriam jam non ſimpli-

plicem bilioſam, ſed dicemus *putridam*. En jam, quid nobis ſit *dyſenteria putrida*. Febrim vobis putridam, ſed provectam, gravem & dyſenterico ſymptomate ſtipatam proponite, & habebimus *dyſenteriam malignam*.

Eadem inter dyſenterias æſtivas differentia erit, quæ inter ipſas febres æſtivas, quarum quædam bilioſæ in infimo gradu ſunt, quædam bilioſæ in gradu paulo altiori, ſeu *putridæ*, & quædam aliæ bilioſæ gradus adhuc altioris ſeu *malignæ*. Ex hac dyſenteriæ æſtivæ idea fertili ſane, & ſumme practica, repeti methodus medendi debet.

Cura dyſenteriæ multiplex reperitur, ita, ut quilibet auctor aliam ferme commendet. Omnes tamen methodi revocari poſſunt ad ſequentes: Scilicet

1) *methodus involvens*, Oryza, amylum, mucilago, emulſio gummi arabici, ſalap, althea, oleum &c.

2) *methodus evacuans*. Adhibent emetica, vel emeto-catartica, vel purgantia. Radix ipecacuanha per eminentiam dicitur antidyſenterica, male quidem. Tartarus emeticus, ubi vomitione uti convenit, præſtat. Vitrum antimoni ceratum nil habet ſpecifici, eſt etiam inſecurum medicamentum. Tamarin-

rindi, caſſia, rheum, mirabalani, manna, ſal amarum dilutiſſimum, tinctura rhei.

3) *Methodus* eſt *narcotica;* ſunt qui absque opio negent ſanari poſſe dyſenteriam. Opium, theriaca, laudanum.

4) *Methodus ſtyptica*, quæ tormentilla, catechu, ſanguine draconis, alumine, rheo toſto, ſimaruba medetur.

5) *Antiſeptica.* Cortex; arnica.

6) *Antiphlogiſtica*, quam quidem ubique commendant.

Antequam dijudicemus ubinam ſingulæ methodi conveniant, reliquas adhuc ſpecies dyſenteriarum perſequemur. Erit ergo tertia ſpecies, *dyſenteria intermittens*; febris eſt larvata.

Quarta eſt *dyſenteria ſporadica* a draſtico, veneno, cruditate quacunque, acida, rancida.

Quinta ſpecies illa eſt, quæ quamcunque diarrhœam ex quacunque cauſſa natam excipit, *ſi enim diarrhœa quæcunque augeatur, torminoſa* evadat, idem morbus jam non diarrhœa ſed *dyſenteria* appellabātur. Hæc quinta ſpecies in tot ſpecies alias ſubdividitur, quot ſunt diarrhœæ,

Sexta ſpecies eſt *dyſenteria complicata*, e. g. ex phlogoſi & vitio bilioſo.

Vi-

Videamus ubinam locorum quævis methodus conveniat.

Prima methodus ſeu *involvens* convenit in dyſenteria inflammatoria. Nocet tunc omnis vel leviſſimus ſtimulus. Præter emulſa &c. proſunt balnea tepida.

Secunda methodus ſeu evacuans adhibetur in dyſenteria a cruditate orta, in dyſenteria *bilioſa* quam aliqui *benignam* appellant, quæ cito ſatis, & absque magno molimine curatur.

In dyſenteria æſtiva conſiderandum eſt, an febris dyſenteriam comitetur bilioſæ naturæ, aut febriculoſa ſaltem diſpoſitio (ſine hac enim nulla æſtiva dyſenteria unquam obſervatur, & ſiquidem ſtatuant dyſenteriam, æſtivam apyreton, id ita accipere debent, quod *magna* febris non adſit, adſit tamen *febricula.*)

Hoc ſi ſit, cura eadem prorſus ratione erit inſtituenda, quam adhibemus in *quacunque* febre aut febricula bilioſa. Hæc ergo noſtra regula practica in remediorum ſelectu. Cum ergo poſt obſervationes conſtet, *febres bilioſas* curari emeto-catartico, præmiſſis ſolventibus, & ſæpe tali remedio repente *jugulari*; cum poſt obſervationes conſtet, purgantia mannata, ſalina, tamarindinata, caſſiam,

rheum,

rheum, tincturam rhei aquoſam haſce bilioſas febres ſæpe numero æque curare; ſed tardius, majori cum molimine, atque minus tuto: hinc hæc ipſa remedia eccoprotica dyſenteriam ſimplicem bilioſam ſanabunt quidem, ſed multas per ambages, cum hæc *bilioſa dyſenteria* aliud nil ſit, niſi luſus quidam bilioſæ febris æſtivæ, ejusque varietas ſolum accidentalis.

An huic dyſenteriæ ſpeciei venæ ſectio, an opium, an adſtringentia, an calefacientia &c. conveniunt? Reſpondeo: Interrogas an febri bilioſæ ſimplici venæ ſectio, & quando, an opium, an adſtringentia, an calefacientia conveniant & reſponſum habebis; hæc *per ſe* non conveniunt, ſed *ſubinde* & *per accidens.* Inter emetica præſtat ipecacuanha tartaro emetico armata, aut ſolutio ſolius tartari emetici; infidum eſt vitrum antimonii ceratum.

Verumtamen pone dyſenteriam febri ſtipatam putrida, ſynocho putri, id quod ſcis, ſi uno ferme tenore febris perſtet, obſcuram habeat remiſſionem, & originis nihilominus gaſtricæ ſit, tunc canon medendi eſto: curare *febrim putridam* ipſam, cujus ſymptoma ſolum eſt hæc torminoſa dejectio, & ſymptoma quidem mere accidentale; novimus autem febribus putridis convenire primo præmiſſis ſolventibus emeto-catharſin, verum tamen hanc

ſo-

ſolam non ſufficere, quemadmodum tamen ſufficit in *bilioſa febre*, ſed opus eſſe ſubinde repetita emeli, interpoſitis blandioribus, dein etiam fortioribus antiſepticis, qualia ſunt cortex peruvianus & maxime arnicæ radix; hinc dyſenteriam *putridam* eadem remedia ſanabunt, methodus eadem, ſcilicet primo *evacuans*, dein *antiſeptica*.

Quodſi mora ipſa, neglectu, mala medicatione *dyſenteria ſimplex bilioſa* abiiſſet in *putridam*, methodus eadem in uſum vocari deberet, quam febri bilioſæ in putridam transmutatæ adaptamus.

Malignam dyſenteriam pono, ſeu, ut verius loquar, febrim malignam pono, dyſenteria, tanquam quodam accidentali ſymptomate ſtipatam, febrim inquam, ubi ingens, ſolidorum torpor & flacciditas, & humorum multis ex abdomine reſorptis pravis ſuccis coinquinatorum proventus adeſt, quænam erit medendi methodus? reſpondeo, initio evacuari ea debebunt, quæ prava in abdomine latent; at vero, ſi id ob virium vitæ debilitatem fieri amplius nequeat, neque tutum id ſit, conſervandæ vires vitæ erunt cortice peruviano, arnica, camphora, ſero lactis vinoſo, ſero lactis aluminoſo, ſpiritu vitrioli, vino rubro; excitanda ſubinde vita erit ſinapis-

piſmis &c. atque in univerſum id omnino erit agendum in *maligna hac dyſenteria,* quod ageremus in ſimplici maligna febre. Hinc etiam incraſſantibus, humores potenter inſpiſſantibus remediis locus erit, præcipue ſi per alvum non jam cruentæ quædam ſtriæ abeant, ſed *largus* ſanguis & *meracus* prodeat. Potenter inſpiſſantia remedia appello alumen, ſuccum catechu, ſanguinem draconis, acaciæ, decoctum tormentillæ &c. En jam ubi *methodo ſtypticæ* locus, & quando aut quonam in morbi ſtadio locus ſit.

Sed narcoticorum quis uſus erit? reſpondeo 1) in bilioſa dyſenteria vix ullus, fors poſt emeticum utiliter dabitur, quemadmodum multi ſolent ad turbas componendas.

2) Ubi dyſenteria in diarrhœam convertitur pertinacem & vires exhaurientem, felix quidem converſio eſt, attamen diutius perſtans diarrhœa noceret; hinc opium ſubinde dari poteſt, ut induciæ fiant, & ut remedia cetera roborantia non tam cito per alvum profundantur. Item ubi alvi fluxus poſt dyſenteriam ex mera quaſi conſuetudine redit, juvabit aliam & præcipue cutaneam excretionem promovere, ſudores elicere: iis elicitis alvus fiet moderatior. Opium huic ſcopo ſervit.

In

In dyſenteria putrida, & maligna *per ſe* opium nunquam convenit. Subinde *per accidens*, ſi magna humorum quantitas per alvum abeat: ad initio id nunquam ſit.

Cum compoſitæ poſſint dyſenteriæ dari, id eſt, inflammatorio-bilioſæ, inflammatoriæ putridæ quemadmodum dantur pleuritides compoſitæ, patet, methodum medendi debere eſſe pariter compoſitam. Ceterum de dyſenteria æſtiva nota adhuc ſequentia:

1) facile una ſpecies in aliam transire poteſt, bilioſa in putridam &c. ſi evacuationes in initio negligantur, inflammationem jungi poſſe, ſi calefacientibus e. g. vino rubro tractetur, quem abuſum *Zimmermannus* fuisſe inter ſuos ftequentem ajebat

2) Quæritur, an contagioſa dyſenteria ſit? reſpondeo ea ratione contagioſam dici poſſe, quatenus aërem in cubiculo coinquinat, qui deglutitus ad morbum bilioſum alias diſponit. Contagium idem in omni aëre obſervatur, ubi multi homines, ægri præcipue concluduntur, verumtamen nondum evictum eſt contagium tale, quale e. g. in variolis, morbillis, ubi exiguus fomes alterius corpori adplicatus ſat certo morbum eundem, varioloſum, aut morbilloſum producit; contagium certe, ſi datur, id volatile non eſt. An-

no priori dyſenteria plures maniaci perierunt, incluſi utpote ergaſtulis & aëre bono, deſtituti.

3) In dyſenteria alvus ponitur *ramentoſa cruenta* plerumque, etſi ſubinde & viridis; cave ne idcirco ab emeſi indicata deſiſtas. Poſt emeſin enim inde videbis alvum bonæ notæ.

4) Cave ne dolor *ſæpe enormis* te decipiat; in bilioſa dyſenteria is *per ſe* non eſt inflammatorius; & non tantum *admittit*, ſed & petit emeticum.

5) Cave ne te dejectionum frequentia ad uſum opii ſeducat. Frequentiſſime dejiciunt, ſed perparum pro una vice. Sæpius *putant* ſolummodo ſe dejeciſſe; & ſolum teneſmum cum moleſtiſſima muci cruoriſque expreſſione paſſi ſunt. Gravis obſervatio.

6) Dyſuria in morbis bilioſis plerumque obſervatur, quam maxime tamen in bilioſa dyſenteria, uti & iſchuria. Cataplasmata emollientia, balnea proficiunt raro; potus emollientes, mucilaginoſi, oleoſi ſaburram augent & dyſſuriam: emeticum urinæ libertatem reſtituit. At vero in *inflammatoria* venæ ſectio: idem ſymptoma provenit a conſenſu.

7) Dyſenteria male confunditur cum diarrhœa. Dyſenteria ſubinde tollitur, quin diarrhœa ſequatur, Subinde in diarrhœam feli-

ci-

citer convertitur; malum videlicet gravius convertitur in multo levius. Fiunt tunc dejectiones ſubinde æque crebræ, ſed nihilominus dolorificæ, & plus excernitur, & fœculentum. Tunc autem curam oppono diarrheæ convenientem. Sæpe poſt octo & decem dies dyſenteriæ dura abeunt ſtercora, antiqua nempe, quæ diu ibi hæſerunt.

8) An fructus horæi dyſenteriam facere poſſint? maturi non poſſunt. Poſſunt quidem diarrhœam facere, eamque ſalutarem, ſed non dyſenteriam. Succi fructuum, præcipue ſuccos uvarum recentium (Moſt) ſaluberrimus teſtante *Tiſſoto* reperiebatur. Ipſimet utique ſuccis horræorum in ſyrupis præſcribimus. Horæorum defectus potius dyſenteriam invitat. Vidi dyſenteriam in iis, qui fructus nullos comederunt; maniaci noſtri non comederunt, uti nec ii, qui in carceribus facti ſunt dyſenterici. Carnes, pinguia, & vinum copioſam maxime invitat dyſenteriam, cum calore æſtivo.

9) Separatio bona quidem eſt, attamen aëre aperto converſari prodeſt. Dyſenterici & diarrhæici aërem maxime inquinant. Hinc in loco umbroſo ubique perflato eſſe deberent. Id obſervent medici caſtrenſes.

10) Canones practici ſunt:

1) curare febrim principem,

2) diſtinguere dyſenteriam ipſam, a ſuis ſequelis, ſcilicet a diarrhœa &c.

11) De uſu opii adhuc quædam uti & de alterantibus; alterantia continuas faciunt vomituritiones, movent ſudorem. Id e. g. facit ipecacuanha parva doſi cum opio. Hæc methodus non convenit in dyſentericis ſaburralibus e. g. bilioſa, niſi poſtquam ea fuerit in diarrhœam converſa, repurgato abdomine. Tunc conſuetudo dejiciendi tollitur ſudoriferis, & vomituritionibus &c. tunc opium facit, ipecacuanha regimen calidum. Sed nunquam oblivifci debemus, opium ventriculo eſſe inimicum.

12) Non quævis alvus cruenta, frequens torminoſa, tenesmoidea *dyſenteria* appellari debet. Sunt enim homines, quibus vaſa ſanguifera inteſtini recti ſive vaſa hæmorrhoidalia multo ſanguine infarcta ſunt, quæ diſtenta dolorem primo lumborum, dein pruritum in ano, borborygmos, tormina, flatus ανω & κατω erumpentes, febriles motus anxietatem, præcordiorum tenſionem, palpitationemque excitant. Strangulatus humorum & difficilis ſanguinis per vaſa abdominalia circulus, horum ſymptomatum cauſſa eſt. Accedit, alvus parca, frequens, dolorifica, teneſmus; introtractio ani, ita, ut nequidem ene-

enema poſſit adplicari; item ſtranguria, iſchuria. Complexus omnium iſtorum ſymptomatum colica hæmorrhoidalis dicitur. Tandem alvus cruenta ſequitur, quam certe *dyſentericam* appellare non convenit.

13) Diſtinguitur alvus hæmorrhoidalis a dyſenteria per hoc

1) Quod in fluxu hæmorrhoidali adſint ſymptomata ſuperius deſcripta, ita tamen, ut nullæ ſaburræ bilioſæ ſigna obſerventur, quemadmodum tamen fieri ſolet in dyſenteria.

2) In fluxu hæmorrhoidali ſimul juncta plerumque ſunt tubercula hæmorrhoidalia externa aut interna, ſaltem digito poſſunt deprehendi.

3) Quocunque anni tempore fluxus hæmorrhoidalis, & homines huic alias ſæpius obnoxios invadit, ſecus ac fieri in dyſenteria ſolet.

4) Malum a lumbis incipit & partibus ano vicinis, in dyſenteria vero a ventriculo & abdomine.

5) Sanguis in dyſenteria aut purus ſubinde abit, aut cum fœcibus intime commixtus. In fluxu hæmorrhoidali fœces ſanguini non ſunt conjunctæ, ſed has aut ſequitur excretio ſanguinea, aut præcedit, ita, ut & fœces & ſanguis ſeorſim in excipulo ſpectentur.

14)

14) Alius præterea morbus eſt, qui minus expertis *dyſenteriam* eamque cruentam mentitur. Videl cet dantur homines, quorum vaſa ſanguifera non in recto ſolum inteſtino, ſed & in colo, in ileo, in jejuno, duodeno|, in ipſo adeo ventriculo ſita, varicoſa hinc inde ſunt, & ſanguine multo turgida; quemadmodum crura gravidarum vaſis varicoſis perreptari ſolent; quemadmodum igitur varices in crure varicoſo nonnunquam ſuapte rumpantur & ſanguinem fundunt, ſic & varices inteſtinorum, ipſiusque ventriculi rumpi nonnunquam aſſolent. Quæ affectio varia varia ſortitur nomina, prout vario in loco hæc vaſorum varicoſorum ruptura fit. Si varicibus inteſtini recti disruptis ſanguis alvo prodeat cum ſymptomatibus ſupra deſcriptis, morbus appellabitur *fluxus hæmorrhoidum internus*. Si aut inteſtini coli, cœci, ilei, jejunique varices ſanguinem fundant, affectio hæc *alvus ſimpliciter cruenta* audiet, aut, ſi grumoſus alvo ſanguis excernatur, *atræ bilis per alvum excretio* appellabitur. Si vaſa ventriculi varicoſa rumpantur, *vomitum cruentum* habebimus, quem ſi ſanguis tenax, grumoſus, piceusque ſit, *atræ bilis per os rejectionem* nominarunt. *Alvus ejusmodi cruenta* a varice inteſtini cujusdam altius locati rupto progna-

ta

ta cum *dyſenteria* de qua agimus, confundi nequaquam debet, alia longe utriusque *morbi idea, alia medendi methodus eſt.*

15) Alia *dyſenteriæ* ſpecies datur, quæ ſubinde *epidemica*, aliamque a *dyſenteria bilioſa* curandi rationem exigit. Hanc dyſenteriæ ſpeciem *ſeroſam* potius compellare oportet, quam *Williſius* ad annum 1670 Londini epidemice autumni tempore graſſantem adcurate deſcripſit.

Ad cauſſas hujus dyſenteriæ pertinet tempus pluvioſum, quo ex humidiſſimo aëre multum humoris reſorbetur per vaſa corporis cutanea perque pulmones, quove etiam perſpiratio conſueta cohibetur, unde magna ſeroſi humoris intra vaſa collectio fit.

2) Tempus autumnale; nam cum aër refrigerari incipit, is aqueus humor per æſtivos calores ſudore aut inconſpicua perſpiratione e corpore ubertim emanat, retinetur jam & ad inteſtina ex præterita æſtate laxiora, debilioraque ruit.

3) Eandem hanc dyſenteriæ ſpeciem quocunque anni tempore videre eſt in iis, qui acidulas largius ingurgitant, & quibus hauſtæ acidulæ per conſueta corporis colatoria non eliminantur, ſed intra vaſa retinentur, & cum ſanguine circulant. Fit enim, ut vaſa

ſa

ſa ſanguifera ſe ſubito ab onere ſuo liberant, ac humorem hunc aqueum ſuperfluumque alriorſum v. g. ad inteſtina deponant. Hæc dyſenteriæ ſpecies ſubinde vel ſaniſſimos aggreditur, pleniſſimoque corpore donatos; egeſtiones alvi copioſiſſimæ ſunt, & aquoſæ ac fere limpidæ; corpus, facies, manus intra paucas horas extenuatum, collapſumque adparet. Tormina ſæpe non maxima, ſed tolerabilia. Cutis arida, oris & faucium maxima ariditas, virium repentina proſtratio, pulſus debiliſſimi, celerrimique, leipothymiæ, convulſio ob vaſorum inanitionem, & mors. Celeris ejusmodi ſubitæque mortis cauſſa ex eo repeti debet, quod vaſa ſanguifera ſe tam cito contrahere nequeant, ut ſanguinem ſero deſtitutum ſatis arcte complectantur, eumque juſtum in motum agere queant. Præterea ſanguine liquidioribus ſuis partibus orbato ſecerni ea prompte ac rite nequeunt, ſine quibus vita ſtare non poteſt. Facile, me non monente adparet, aliam in hac *ſeroſa dyſenteria* requiri methodum medendi, ac in illa *bilioſa*, de qua ante. In ſeroſa opiata cardiaca egregie profunt, adſtringentia tuto dantur. At vero emetica purgantiaque pravo certe conſilio adhiberentur. Sudorifera a quibus-

buſdam in dyſenteriis laudata de hac ſolum ſpecie, *ſeroſa* ſcilicet, intelligi debent.

HÆMORRHOIDES.

Hæmorrhoides dividuntur in *apertas* & *clauſas*, 2) in *externas* & *internas*, 3) in *dolentes* & *non dolentes*.

Per hæmorrhoides intelliguntur ea vaſa, quæ circa ultimam inteſtini recti oram ſita ſunt; eæ quæ ſuperiorem inteſtinis hujus partem perreptant, *internæ* dicuntur, quæ vero infimum ejus limbum, aut etiam extimam circa anum oram occupant, *externæ* appellantur. Vaſa hæc tam *arterioſa* quam & *venoſa* ſunt. Ubi inteſtinum rectum oſſi ſacro adhæret ramulos accipit arterioſos ab *arteria ſacra* ibique etiam correſpondentes venas in venam ſacram, eæ dein in venam cavam abeuntes. Cum vero idem inteſtinum rectum etiam meſocolo alligatur, inde arterias meſeraicas; venasque correſpondentes in meſentericam venam, indeque in venam portæ abeuntes recipit. Vaſa hæc a meſocolo ad inteſtinum rectum tendentia tortuoſo admodum ductu, & admodum gracilia per inteſtinum rectum reptant. Circulus ſanguinis per venas has ob

di-

dictas rationes, tum etiam, quod ſanguis contra propriam gravitatem aſcendere debeat, nullisque venarum valvulis, quæ in ſyſtemate venoſo venæ portarum deſunt, in ſuo aſcenſu juvetur, difficilis redditur. Inde ſanguinis remora hinc inde facta venarum variis in locis præternaturales dilatationes, ſive varices fiunt, quas *hæmorrhoides*, *ſive tubercula hæmorrhoidalia* appellant.

Cum inteſtinum rectum in viris veſicæ urinariæ & veſiculis ſeminalibus, in fœminis vero cum uteri vagina per communes utrinque arterias venasque jungatur, patet

1) vaſa hæmorrhoidalia venoſa ab inteſtino recto ad veſicam vel uteri vaginam tendentia, eodem modo & ex iisdem rationibus *varicoſa* fieri poſſe. Hinc oritur idea *hæmorrhoidum veſicæ*, & *vaginæ uteri*; quæ etiam in *dolentes*, ac *non dolentes*, *fluentes* vel *clauſas* diſtinguuntur. Inde, a ruptis videlicet veſicæ, vel vaginæ hæmorrhoidibus, peculiaris vel mictus cruentus, vel hæmorrhagiæ uteri ſpecies oritur, probe dignoſcenda.

2) Colligitur, non omnem fluxum ſanguinis per alvum dici debere hæmorrhoidalem; ſi enim arteriæ ſacræ ramuli, vel & arteriæ meſeraicæ extremitates ſanguinem fundunt,

flu-

fluxus talis ad alias ſpecies, aliis in locis explicatia, referri debent.

3) Si venæ hæ hæmorrhoidales ubi altius aſcenderint, aut aliæ cum iis communicantes, ſuperiora inteſtina, vel & ventriculum perreptantes *varicoſæ* fiant, orietur prima ſpecies morbi nigri *Hippocratis*, ſive bilis atra veterum, qui morbus a morbo hæmorrhoidali ſolo ſuo ſitu altiore diſtinguitur.

Cauſſæ hæmorrhoidum variæ, quas inter præcipue ſequentes ſunt.

1) Plethora, hinc fœminæ quædam laute viventes omni menſe præter copioſa menſtrua inſignem ſanguinis quantitatem per venas hæmorrhoidales emittunt. Sunt & viri laxioris, mollisque habitus, ſucco pleni, qui eandem evacuationem ſæpius absque peculiari incommodo & cum levamine patiuntur.

2) Plethora temporaria, ſive ſanguinis rarefactio per potus ſpirituoſos, balnea calida, exercitatione corporis nimia, equitando diu ambulando &c. inducta.

3) Plethora topica ſive particularis ſyſtematis venoſi in abdomine, ſi ſanguis illuc copioſius determinatur cibis acribus, aromaticisque, aut ſi circulus ſanguinis per ſiſtema venæ portarum, reddatur tardior, diuturna ſtatione, corpore erecto, vita ſedenta-

ria,

ria, uti in litteratis, fœminis, & peculiariter in quibusdam opificibus, ac artificibus, qui corpore antrorſum inclinato laborant.

4) Alvus difficilis laborioſa hæmorrhoides facit, ſi ſcilicet inteſtinum rectum circa ſcybala indurata arcte ſtringatur, ſanguinis reditus per venas hæmorrhoidales intercipitur, ſtagnat, & tubercula varicoſa facit.

5) Purgantia acria, ſalina, frequenter adhibita majorem ad venas hæmorrhoidales ſanguinis affluxum cauſſant & diſpoſitionem hæmorrhoidalem inducunt. Idem faciunt præprimis aloetica. Item omnia ea medicamenta, quæ fœminis menſes vi ſua emenagoga cient. Flores ſulphuris interne ſumpti.

6) Graviditas: plurimæ gravidæ hæmorrhoidibus infeſtantur circa poſteriores graviditatis menſes, quando ſcilicet uterus diſtentus inteſtinum rectum, ejusque venas comprimit & ſanguinis per eos refluxum prohibet; ex eadem cauſſa hæmorrhoides vaginæ, itemque labiorum pudendi eodem graviditatis tempore perſæpe obſervantur; idem quoque ab utero gravido, natum obſtaculum refluentem ab artubus inferioribus ſanguinem urget, unde crura gravidarum varicoſa redduntur.

7) Menſtruorum fluxus impeditus ob vitium uteri topicum, præſente ſanguinis ſuffi-

cien-

cienti copia, niſuque verſus uterinum ſyſtema; contingit enim, ut nimia fibrarum uterinarum rigiditas, aut aliud vitium uteri organicum ſanguinem menſtruum non transmittat. Unde is ob vaſorum communionem ad vaſa inteſtini recti regurgitans hæmorrhoides ſubinde fluentes facit.

8) Tumores in abdomine qualescunque vaſa venoſa comprimentes reditumque ſanguinis remorantes.

9) Sanguis atrabilarius, ſive ſpiſſus in ſyſtemate venæ portarum hærens, & tardius motus, aſcendenti per vaſa hæmorrhoidalia ſanguini remoram ponit, unde dein eorum varices naſci debent.

10) Hepar calculoſum, ſcirrhoſum, exſiccatum & quacunque demum ratione obſtructum, tranſitum ſanguinis per ramos venæ portarum difficiliorem reddens, ex ratione ſupra allata hæmorrhoides producit.

11) Laxitas vaſorum hæmorrhoidalium & aquoſa humorum diſpoſitio cauſſa hæmorrhoidum nonnunquam eſt.

12) Critica evacuatio in morbis acutis nonnunquam fluxu hæmorrhoidum perficitur.

Symptomata alio loco enarravimus, ubi febrim hæmorrhoidalem deſcripſimus.

Cu-

Cura pro varietate cauſæ variat. Hinc in plethoricis venæ ſectio in brachio, diæta vegetabilis, exercitium moderatum incommoda hæmorrhoidalia facile avertit. Si ab alvo difficili oriantur, ea proderunt, quæ alvum lubricant & humectant, manna, caſſia, tamarindi. Item quibusdam alvum facilitat mel, aut butyrum mane comeſtum.

Si a vaſorum laxitate, diſpoſitionem humorum tenui & aquoſa fluxus hæmorrhoidum pendeat, roborantibus opus erit; mirobolani & rheum, imprimis toſtum interna hiantia vaſcula adducit, roboratque. Vitia hepatis, quæ hæmorrhoidum cauſſæ ſunt frequenter, appropriatis remediis corrigenda. Si graviditas, plethora topica vaſorum abdominis, itemque, ſi morbus niger *Hippocratis* evacuationem per ipſas venas hæmorrhoidales exigat, id fiat primo medicamentis internis, præcipue lenioribus purgantibus ſalinis; magneſia nitri hunc in finem celebratur, quæ drachmæ pondere ſemel, bisve per diem exhibetur, per aliquot dies continuand, Huic aliqui addunt gr. vj. x. xv. flores ſulphuris. Aloë, exiguis doſibus data venas hæmorrhoidales diſponit, ut crepent ſanguinemque fundant; verum cautiſſime adhibenda ſunt aloëtica, cum omnes alias ſanguinis evacuationes,

in-

inducto humorum orgaſmo, ex æquo ſollicitent. Hinc viris raro aloë exhibendum. Plethoricis vero & phlogiſticis nunquam. Prava admodum eſt illorum conſuetudo, qui ſæpius heſterni prandii, cœnæque reliquias, pilulis aloëticis per alvum exturbare conſueverunt. Quibus hæcce interna remedia, ut plerumque contingit, ob timendum humorum orgaſmum præſcribi nequeunt, his proderit hirudo. Verum ſi tubercula magna ſint, & cum ſanguine grumoſo cœruleſcnnt, hirudo nil, aut parum levaminis afferet. Melius autem in tali caſu diſciſſo per medium mediante lanceola tuberculo grumus ſanguinis eximitur, quo ſublata evacuatio ad libitum fieri poteſt. Qui aſſumpta v. g. magneſia nitri, aut alio ſtimulo ſalino, & leviter purgante vaſa hæmorrhoidalia ad disruptionem ſollicitant, voti ſui citius compotes erunt, ſi ſellæ perforatæ, cui aqua calida impoſita fuerit, inſideant, & vaporem aquæ emollientiſſimum ad tumentia tubercula admittant. Ceterum magni momenti eſt tuberculorum hæmorrhoidalium inflammatorum, dolentiumque tractatio, quam hic paulo accuratius perſequemur. Tuberculum hæmorrhoidale inflammatum nunquam ad ſuppurationem perducendum erit, cum ſuppuratio ibi loci excitata ob copioſam

pin-

pinguedinem longiſſime, & admodum profunde ſerpere ſoleat, & canales tortuoſos, anique fiſtulam ſæpe producat. Hinc emollientia, fotusque varii adhibendi, donec tenſio, dolorque diſpareat, & demum leniſſimis repellentibus, qualia ſcilicet in inflammatione adhibentur, abſolvenda curatio eſt. Quamdiu inflammatio durat, nec hirudine, nec lanceola locus inflammatus tentetur, ne facto loci inflammati vulnere moleſta ſuppuratio, indeque ani fiſtula oriatur. Nihilominus egregius habetur effectus, ſi penes tuberculum inflammatum, attamen in parte non inflammata hirudo adplicatur, quæ venæ ſectionis topicæ ad topicas inflammationes jam a *Baglivio* adeo laudatæ vicem ſupplebit. Notandum pariter, peſſimo abuſu adſtringentia, ſaturnina &c. adhiberi, quamdiu tenſio, dolorque tuberculi urget. Nam gangræna peſſima, aut ſcirrhoſa durities inde naſcitur. Patet origo fiſtularum ani, quam etiam ortam vidimus, dum chirurgus imperitus tuberculum hæmorrhoidale forfice abſcinderet, quod tamen per medium mediate lanceola dividi debuiſſet. Inde autem nata ſuppuratio eſt, & incurabilis fiſtula. In morbo nigro *Hippocratis* item in ſputo ſanguinis, in cardialgia, a plethora ventriculi, prodeſt evacuatio per hæmorrhoides.

ICTE-

ICTERUS.

Icterus ſeu morbus regius, arquatus, eſt color tunicæ albugineæ cutisque præter naturam flavus vel nigricans.

Signa & ſymptomata ſunt, color luteus in albuginea, reliquove corpore, imo in ipſis cartilaginibus & oſſibus. Urina crocea, tingens, cum ſedimento ſæpe lateritio. Fœces gryſeæ, alvus tardior, pigritia, animi languor, viſus obſcurior, at raro admodum objectorum apparens flavedo. Pruritus & ariditas cutis. Strictura, gravitas & tenſio hypochondrii dextri, incommoda ventriculi, inteſtinorumque. Sudores difficiles. Lac & ſaliva raro amara aut tincta, & non niſi in morbo inveterato.

Cauſæ ſunt:

1) Bilis hepatica regurgitans ob qualecumque impedimentum ejus liberum effluxum impediens. Si ſola hæc bilis hepatica icterum faciat, color cutis erit minus flaveſcens, ſed potius ex pallido flavus. Alvus colorata. Urina minus tincta.

2) Bilis cyſtica regurgitans, quo in caſu cutis & urina magis flaveſcunt. Alvus minus tincta.

3) Bilis & hepatica & cyſtica effluere prohibita icterum facit cito increſcentem, cum alvo tardiſſima alba, urina maxime tincta.

4) Bilis inſpiſſata, viſcidaque, & effluere haud valens in ſedentariis.

5) Materia atrabilaria ad hepar delata, idque obſtruens.

6) Scirrhi & tubercula varii generis in hepate nata, item abſceſſus & vomicæ hepatis clauſæ.

7) Inflammatio hepatis.

8) Plethora unde *icterus plethorius Hoffmanni*, circulatio enim ſanguinis per hepar aliunde tardius a plethora totius corporis magis adhuc retardatur, ſuffocaturque. Idem contingit poſt evacuationes conſuetas ſuppreſſas. Hinc patet ratio quare nonnunquam icterus ſola venæ ſectione irritis omnibus aliis fuerit curatus.

9) Materia critica ad hepar delata, ibique paulisper morata brevi tamen poſtea e corpore eliminanda molimine critico icterum facit, de quo *Hippocrates* ait Sect. IV. Aph. 64. *Quibus in febribus die ſeptimo, aut nono, aut decimo quarto icterus oboritur. bonum:* niſi hypochondrium dextrum durum fiat, alioquin non bonum.

10) Materia cruda ſive etiam coćta metaſtatica ad hepar in initio febrium ante ſeptimum diem translata, ibique icterum faciens, qui malus declaratur, niſi ſuccedat evacuatio per alvum, urinam, aut hæmorrhagiam narium, aut cum rigore oriatur.

11) Febres intermittentes diuturnæ autumnales, & imprimis quartana icterum ſæpe pertinaciſſimum faciunt.

12) Perfrigeratio in reconvaleſcentibus. Nam notante *Sydenhamo* ii, qui diutius pro una vice extra lectum ſe detinere ſolent, declinante morbo in dolores vagos rheumaticos, nonnunquam vero in icterum incidunt, qui lecti calore iterum depellitur, ſi ſcilicet apertis cutis ſpiraculis retenta materies difflatur.

13) Graviditas. Uterus enim diſtentus viſcera abdominalia comprimit liberumque bilis effluxum probibet. Ejusmodi quæque fœminæ ſpecie hac icteri laborantes, duriſſimas, copioſasque fœces aliquot poſt partum diebus ægrotant, ut adeo ſcybala hæc in flexu coli hepatico hærentia ibique accumulata ductum cyſticum aut etiam choledochum comprimere videantur.

14) Meconium, viſcidaque materies liberum bilis effluxum in recens natis prohibet, icterumque producit.

15) Materies bilioſa in febribus bilioſis nonnunquam verum icterum, ſæpius tamen colorem faciei pallidum ex pallido virentem producit. Omnes morbi bilioſi, dyſenteria, febresque omnis generis autumnales huic ictero favent.

16) Morbi convulſivi, colica convulſiva, morbus hyſtericus, animi pathemata, præcipue ira & terror ſæpe icterum producunt, quatenus ſcilicet ductus biliarii ſpasmo conſtringuntur, bilisque in ſanguinem urgeatur.

17) Obſtaculum quodlibet in duodeno natum, bilisque liberum effluxum prohibens. Ita tumores, ſcirrhi, oſſificationes vel in ipſis ductibus, vel in duodeno vel in vinia exiſtentes, pituitoſa colluvies in primis viis. Vermes aut ſpasmum in ductibus bilioſis excitantes, aut nido ſuo pituitoſo exitum bilis prohibentes.

18) Venena quædam e. g. morſus vipere, canis rabidi etiam aliorum animalium rabidorum. Venena quædam vegetabilia e. g. ſtaphysagria, item uſus aquæ ſtagnantis.

19) Hepatis exſiccatio.

Patet, in hoc morbo uti in omni alio cauſſam, icterique ſpeciem determinari debere. Sic in ictero a febre intermittente orto, ſolventia, aperientiaque indicantur. Univerſum laudantur exiguæ & frequenter repeti-

tæ

tæ rhei doſes. Sapones, ſalia media, aquæ ſelteraneæ, egranæ, rohitſchenſes &c. Exercitium, frictio. Decoctum graminis, taraxaci, cichorei. Serum lactis, In ictero gravidarum enemata & copioſus cremoris tartari uſus, item lubricantia ex oleo amygdalarum &c. Icterum neonatorum tollit ſyrup. cichor. cum rheo ad unc. j. aqua parumper dilutus & intra 24 horas abſumptus. Icterum feliciter curat ſæpe infuſum rhei frequenter & copioſe aſſumptum. Subinde decoctum radicis helenæ, marrubii albi. Decoctum fragariæ, chelidon. major. cardui benedicti, centaurea. Solventiſſimum & minime prætioſum remedium ruſticis parari poteſt in ictero, item incipiente hydrope poſt febres intermittentes ſequenti ratione:

℞. Cinerum ordin. libr. j.
Herbæ marrub. alb. m. ij.
Vini albi libr. iij. aut menſ. j.

Stent in loco calido per xxiv. horas. Bibat quater per diem unc, iij. aut unc. jv.

Sic hydrops incipiat, aut adſit magnus primarum viarum languor addi poſſunt baccæ juniperi contuſæ. Eadem ratione cum cineribus clavellat. ex ſale tartari, vino albo, cortic. aurantior. Syrup. de abſynth. fumaria, cichoreo cum rheo ſolventia & egregia apericen-

tia parari poſſunt. Refert *Aelianus* in hiſtoria animalium veteres cineres ſarmentorum ex aceto bibiſſe contra tumores ſplenis. Sal medium, quod inde exſurgit mitiſſimum, ſolventiſſimumque evadit. In curatione icteri egregiam & maxime practicam obſervationem legimus apud Baglivium, qui duos præcipue icteri ſpecies probe ab ſe invicem dignoſcendos eſſe ait: dari enim aſſerit hos ictericos, fibra ſtricta rigidaque, temperamento cholerico, macros, robuſtosque, in quibus bilis copioſa, acerrima, admodum tenuis peccat, utendum tepidis balneis, emollientibus, diluentibus internis, ſero lactis, iisque quæ etiam prædominans in ſolidis vitium corrigunt læduntur hinc roborantibus, amaricantibus aperientibusque paulo magis activis. Si vero uti in altera icteri ſpecie contingit, bilis viſcida, amurcoſa, & ſtatum fibrarum torpidus laxusque adſit, apperientia paulo fortiora locum habebunt. Alia adhuc icteri præcipua periodici cauſſa habetur in concretionibus calculoſis, ſive calculis veſicæ felleæ. Hujus icteri ſymptomata *Ill. van Swieten* egregie deſcripſit ad §. 950. Nos hic paulo adcuratius de hac icteri cauſſa agemus, Calculus veſicæ felleæ, ab antiquis medicis ignorabatur, primo ſeculo 16to ope anatome magis cultæ de-

detegebatur. Ad hoſce calculos prædiſponit ætas ſenilis, vita ſedentaria, uti e. g. litteratorum, ſexus ſequior, victus ex farinoſis, craſſis, ſiccis. Abuſus ſpirituoſorum calculoſa diſpoſitio in renibus & veſica urinaria & podagra. Diviſio deſumitur a magnitudine, numero, lævitate vel ſcabricie, a colore, inflammabilitate, fruſtra tentata eorum ſolutio, ut in ſpiritibus acidis & urinoſis a Cl. *Büchnero.* Oleum tartari per deliquium cum iis in tenacem ſubſtantiam ope caloris abibat. Verum nec ſpiritui vini rectificatiſſimo, nec ſolutioni ſaponis parant. Differunt a calculis aliis in corpore humano reperiundis *materia bilioſa*, ex qua conflati ſunt; *ponderis levitate*, *inflammabilitate* a calculis vero inteſtinalibus præcipue per hoc differunt, quod calculi inteſtinales in aqua differunt, quod calculi inteſtinales in aqua projecti huic non innatent, neque flammam concipiant, nec etiam in pulverem redacti bili cyſticæ ſimiles ſint, nullum præterea deguſtati amaritiei ſemper excitent. In Comment. de reb. in med. &c. Vol. VII. p. I. Si incommoda hypochondriorum & ventriculi præcipue per aliquod tempus ægrum affligant, tandem vero icterus ſubſequitur doloreque ſedato, diarrhœa oriatur & calculi per ano excernantur gradatim

evane-

evaneſcant, ſi hic paroxyſmus ſæpius revertatur, de calculo felleo certos eſſe poſſumus. In curando hoc morbo natura ſæpe plurimum, ars parum poteſt ſæpe enim per intervalla redit, & per omnem vitam affligit. Duplex curatio locum habet, ſcilicet in paroxyſmo, & extra ejusdem. In paroxyſmo viæ, per quas calculi tranſire debent, *relaxandæ* ſunt venæ ſectione in homine plethorico. Decoctis emollientibus, lubricantibus ex althea, malva, additis oleoſis, cataplasmatibus, fotibus, ſemicupio, clysmatibus emollientibus & oleoſis, ſi vero inanes vomitus, quive calculos non promovent, & ſpaſtica ductuum convulſio eorundem ulteriorem progreſſum prohibeant, anodyna & ſumme pacans opium exhibendum eſt. Si vero calculus in exitu hæreat, & ſolis lubricantibus, emollientibus rei perfici non poſſit, ea adhibenda ſunt, quæ calculum excutiant, promoveant, id faciunt leniora purgantia ex claſſe ſolventium & antiphlogiſticorum, frictiones in hypochondrio dextro & in dorſo verſus partem affectam. Si vomitus non adſit, juvabit ſæpe vomitum excitare. Extra paroxyſmum *calculorum ſolutio* tentanda eſt, & ulterior *geneſis præcavenda.* Solutio tentatur ſucco graminis, ſero lactis, ſapone veneto, decocto radicum quinque aperien-

rientium, pareira prava, rubiæ tinctorum. Ulterior geneſis *præcavetur* aquis medicatis, ſalinis, martialibus, motu frictione, equitatione, & victu accommodato.

HYDROPS.

Hydrops eſt præternaturalis collectio humoris aquoſi, ſeroſi, pituitoſi, ſanguinolenti, purulenti, colore, odore, & quantitate varia.

Diſtinguitur in *anaſarcam* ſeu univerſalem & *particularem*, ſcilicet in hydropem capitis ſeu *hydrocephalum*, *hydropem thecæ ſpinæ dorſi*. huc ſpina bifida pertinet, *hydrops oculi*, ubi nimia humoris aquoſi quantitas oculum ingentis magnitudinis facit, *hydropem pectoris*, *aſcites*, *hydrops uteri*, *ovariorum*, *hydrocele*. *In hydatides*. *In hydropem frigidum* & *calidum* ſive quod idem eſt in *lentum* & *acutum*.

Cauſſæ ſunt, ſexus ſequior, evacuationes ſanguinis nimiæ in partu, abortu, menſtruis, nimia venæ ſectione in acuto morbo. Chloroſis. Frequentes intermittentes, inde icterus & hydrops. Abuſus potuum tepidorum aquoſorum, vini, ſpiritus vini. Diæta ex me-

meris aquoſis fructibus & vegetabilibus. Vita ſedentaria. Aquæ frigidæ potus, ſi quando corpus æſtuat. Suppreſſæ evacuationes menſtruorum hæmorrhoidum, lochiorum; ſcabies, achores &c. retropreſſi; ulcere tibiarum intempeſtive clauſſa. Dyſenteria, & diuturni alvi fluxus adſtringentibus intempeſtive curati. Phthiſis, icterus, graviditas. Hepar ſcirrhoſum. Opificia quædam, uti ſartorum, panificorum, variorumque textorum.

Cauſſa proxima.

1) Glandularum & vaſorum lymphaticorum obſtructio, dilatatio, disruptio.

2) Reſorptio tenuiorum fluidorum impedita ob tumores ſcirrhoſos aliosque hepatis, pulmonis, aliorumque viſcerum, item venarum compreſſio a tumoribus, aliisque cauſſis.

3) Sanguinis craſis nimium relaxata & ſolida debilitata. Hinc cauſſa proxima omnium hydropum eſt diminuta reſorptio vaſorum, minorque imbibitio, quam vaſorum exhalantium excretio.

Symptomata cujuslibet hydropis ſunt ſequentia. In *anaſarca* corpus pallidum, tumidum, molle paſtaceum, crurum tumor veſperi major, quam mane; at major tumor hydopiorum mane & poſt ſomnum, quod veſperi gravitas, torpor, ſomneolentia, urina pau-

ca,

ca, ſubinde cruda, id eſt aquoſa, pallida. Tumet ſcrotum, penis; ſitis, dyspnœa, tusſis, pulſus debilis, citatus, ſudores pauci. Ulcera pedum ex prægreſſis veſiculis, puſtulisque.

Aſcitis duplex eſt, vel enim aqua in abdomine ipſo continetur, vel in ſacco peculiari, inde etiam hydrops ſaccatus appellatur. Adeſt tumor abdominis, dein & pedum, ſcroti; alvus pertinax, urina pauca, ſubinde coloris exaltati, cum ſedimento lateritio. Reſpiratio gravis in decubitu ob aquæ preſſionem verſus diaphragma & pulmones. Umbilici proſtantia. Febricula; ſuperiorum partium emaciatio; putredo aquárum ſtagnantium, inflammatio ab aquarum acrimonia, gangræna, mors.

Aqua in aſcite varia eſt, & conſiſtentia, & colore. Subinde urinam æmulatur, ſubinde rubella eſt, item fœçulenta, craſſa, glutinoſa.

Hydrops ſaccatus diutius fertur, leviora ſymptomata ſunt. Habitus corporis ceteroquin bonum & melior longe, quam in hydrope non ſaccato.

At difficilius curatur ſaccatus hydrops. Hydrops ſaccatus ſubinde abit in abdominalem, tunc ſcilicet, quando ſaccus aquas conti-

tinens rumpitur. At hoc in caſu plerumque ſyncopem patiuntur, quæ aliquoties in veram mortem tranſit: ratio eſt, quia circulus ſanguinis repente valide immutatur disrupto ſacco. Huic cauſſæ adſcribi debet mors quorundam hydropicorum, qui cum bona ceteroquin ſanitate a multis jam annis hydrope ſaccato laborarunt, & in aliquo exercitio corporis repente moriuntur.

Prognoſis eſt: anaſarca ſive leucophlegmatica facilius curatur, quam alia hydropes. Aſcitis curatio admodum incerta eſt, dependetque *a cauſſa producente facilius vel difficilius tollenda.* Vires bonæ ceteroquin, & urina pallida, & appetitus viſcerum integritatem indicant, & ſpem curationis faciunt. At, ſi ſcirrhi tumoresque alii inſolubiles morbum produxerint, ſi urina ruſſa, ſi febricula adſit, difficiles morbi prægreſſi, œconomia naturalis nimium dejecta, & pravus corporis habitus &c. ſpes eſt exigua.

Curatur hydrops vel ſponte ſua, & naturæ ſolius adminiculo, *diarrhœa, urinæ profluvio; vel disruptione cutis in pedibus, vel abdomine; vel viribus medicamentorum.*

Indicationes ſunt primo cauſſas remotas tollere, quibus ablatis ſæpe facile hydrops

cu-

curatur; deinde aquam evacuare, & corpus denique roborare.

1) Evacuantur aquæ primo *purgantibus* quæ *hydrogogæ* audiunt. Cum pertinaci ſæpe alvo laborant tales, hinc *draſticis* ſæpe egent. At in uſu purgantium obſervandum, ea nunquam adhibenda eſſe, ſi hydrops originem duxerit a pravo corporis habitu, dejectis ventriculi viribus. Si adſit febris, nec in ſaccato. Juvant purgantia in eo caſu, ubi corpore ceteroquin valido, poſt excalefactionem prægreſſam, quis magnam aquæ frigidæ copiam ingeſſit, inde hydropem quaſi ſubitaneam contraxit. Nam poſt frigidam ingeſtam omnes corporis ſuperficies ſudare incipiunt tam externæ, quam internæ, hinc aqua ex ſuperficiebus internis exſudans in cavo quodam collecta optime per hydragoga expellitur. Conveniunt deinde purgantia *leniora*, rhabarbarina, & ſimul roborantia in anaſarca, vel leucophlegmatia. Subinde purgantia roborantibus miſcenda ſunt, aut alternanda.

2) *Vomitu*. Ubi eædem ſimul cautelæ & obſervationes locum habent. Hæc hydropis per vomitum curatio admodum rara eſt. Prior per purgantia longe uſitatior,

3) *Diureticis*. Si quis ob debilitatem conjunctam phthiſin, & nervoſum ſyſtema irrita-

tabile catharrtica ferre non poſſit, aut tuta non ſint, diuretica danda ſunt. Circa uſum diureticorum hæc obſervato. Hanc curandi rationem longe frequentiſſimam eſſe, tutiſſimamque item in hydrope pectoris fere unicam, in hydrope ſaccato, ubi omnis vix non alia curatio parum efficit. Bene quoque notandum, non omnia omnibus diuretica eſſe, atque unum uni purgans alteri ſudoriferum, tertio diureticum, & quarto nullius eſſe efficaciæ. Hinc juvat varia diuretico, eademque diverſis formis propinare, donec deſideratus ſcopus attingatur. Notandum præterea a lenioribus incipiendum, & acriora diuretica febrem forte hucusque non præſentem, cauſare.

4) *Sudoribus* a calido cubiculo, ſpiritu vini accenſo infra pallium, admotis lateribus calefactis, balneo ſalis marini, arenæ calefactæ, cinerum &c. excitandis. Hæc methodus in *anaſarca* adhiberi poteſt, viribus ceteroquin nondum fractis.

5) Obſtinata ab omni potu abſtinentia, acidis interea ſitim fallentibus, ſcilicet cremore tartari, tamarindis, prunisque maſticatis, taleolis citri in ore retentis.

6) Inciſione cutis ad malleolum in anaſarca, & paracentheſin in aſcite. Verum ul-

ce-

cera hydropicorum facile gangræneſcunt, hinc cura habenda, ut medicamenta externa gangrænam averuncantia adplicentur.

Circa paracentheſin ſequentia ſunt obſervanda.

Prodeſt paracentheſis in hydrope non *ſaccato*, ubi primæ viæ bonæ ſunt, & obſtructiones ſublatæ. Item ubi ſymptomata, præcipue ſuffocatior ob molem aquarum tanta eſt, ut æger vix *non de vita periclitetur*; hoc in caſu remedium *palliativum* paracentheſis præſtat. Verum ſi cauſſa hydropis tolli non poſſit, ſi peſſundatæ vires vitæ, evacuatio etiam per paracentheſin aquis, nihilominus paulo poſt, perſiſtente utpote eadem cauſſa, idem quoque aquarum cumulus deprehenditur. Præterea, ubi aquæ putres viſcera arroſerunt, forte paracentheſi gangræna & mors *accellerabitur*. In *hydrope ſaccato* plerumque inutilis eſt, qua ſcaturigo aquarum non facile tollitur, ſaccusque remanens brevi poſtea de novo repletur, ſi *aqua gelatinoſa* ſit, ita ut per canalem effluere non poſſit fruſtra pariter paracentheſis inſtituitur, etſi hoc in caſu galli vulnus ampliunt prout conſiſtentia humoris evacuandi exigit.

7) Quando morbus ex ſola laxitate partis externæ oritur, citius curatur adhibitis ro-

roborantibus externis ad partem relaxatam, quam internis. Morbus enim præcipue eſt *celluloſæ telæ*, & *venularum*, in quas externa facilius & citius agunt, dum præcipua internorum actio eſt *in arteriis*. Sic tumores crurum inunctione ſpirituoſa, fumo aromatico, frictione, atque inſuper *faſciatione* feliciter tolluntur.

8) Morbus hydropicus ex ſola vaſorum laxitate, poſt nimias evacuationes, prægreſſos diuturnos morbos, chloroſin, intermittentes, ſolis roborantibus ad initium ſtatim adhibitis curatur. Verum ſi obſtructiones, febris aliaque jam ſuperveniunt, inapte darentur calida, aromatica, adſtringentia; horum enim uſu omnia in pejus ruunt.

9) In remediis aquas ſtagnantes evacuantibus abſtinendum ab iis, quæ febrim & putredinem augent.

10) In morbo jam diutius progreſſo *Tiſſotus* laudat oxyſaccharum, exercitia accommodata, & diætam nec laxantem, nec ſepticam. Oxyſacharum febrim retundit, putredinem arcet, & ſecretiones promovet. Ubi gravior febris putredoque, ad ipſa mineralia acida confugiendum.

11) *Clariſſ. Menghini* cremorem tartari mirifice laudat, & certe præſtans remedium in ſequentibus caſibus præſtat.

1) Quoties morbus incipit, modo non oriatur ex laxa & acida diſpoſitione. Sic ſi ex anomalia menſium, plerumque retentorum, decurrente decimo luſtro plethoricæ & demum hydropicæ fiunt, ope cremoris tartari, debitaque diæta hydrops iſte, quem *calidum* appellare licebit, pulchre ſanantur.

2) Prodeſt itidem cremor tartari cum roob ſambuci, & ſero lactis in illo hydrope qui oritur ex vitio, quod veteres intemperiem hepatis calidam vocarunt.

3) Ubi lotii ſecretio ſegnis evadit, cum colore ejusdem intenſiore, laſſitudine, plenitudinis ſenſu, ſomno turbato, inertia, anxietate, faſtidio, cremor tartari ſecretionem urinæ reſtituit, morboque feliciter medetur.

4) Imo in inveterato hydrope prodeſt, mitigando febrim, ſitim, corrigendo alcaleſcentiam. Idem & potentius quidem faciunt acida mineralia in morbo inveteratiſſimo & in ſtatu ægri jam deplorato unice neceſſaria. Vix enim ſine putredine moriuntur hydropici.

12) Multi alcalina ſuadent, quæ tamen nonniſi in ſequentibus caſibus proſunt. Quoties hyprops, aut alii morbi chronici oriun-

tur ex inſpiſſata & aceſcente lympha, inque omnibus, ubi prodeſt ſapo, qui totam ſuam vim ab alcalino ſale habet. *Hallerus* & *Tisſotus* oleum tartari in nonnullis ſpeciebus hydropis miro cum ſucceſſu adhibuerunt, item aliquoties in chloroſi, tum in variis cachexiis, quæ vappiditatem ſanguinis ex aceſcente degeneratione incuſant. Urinæ tardantes mire promoventur, & ſanguis lætiorem & magis rutilum colorem inde contrahit. Huc pertinent infuſa cinerum juniperi & geniſtæ. Refert *Aelianus* veteres cineres ſarmentorum ex aceto contra tumidos lienes bibiſſe. Juvabunt alcalina, ſapones, vina cineribus affuſa, in hydrope poſt intermittentes longas, icterumque orto.

12) Subinde purgantia nihil minuunt de tumore abdominis, vires proſternunt. Aut etiamſi detumeſcat abdomen, brevi tamen poſtea idem aut etiam major tumor ſequitur; verum facta per diureſin evacuatione, vires minus proſternuntur, & tumor abdominis aut omnino non, aut tardius redit. Ratio, quare poſt purgantia ſtatim denuo increſcat abdomen, eſt, quia aucta exhalatione interna, augetur pariter inhalatio externa, ob conſenſum illum ſuperficiei corporis cum alvo.

13)

13) Si purgantia ſint adhibenda, optime conveniet, rheum cum cremore tartari; multum etiam prodeſt rheum contra illos hydropes, qui ex atonia unice oriuntur, mire enim gaſtricum ſyſtema roborat. Dari tunc ſolet rhei ſcrup. j. mane & veſperi. Reſiduam dein ſpirituum ataxiam limatura martis cum cinnamomi quarta parte mixta ſanat.

14) Cum diverſiſſimæ hydropis cauſſæ ſint, hinc ſedulo in præſentem morbi cauſſam inquirendum. Vix enim morbus eſt, in quoque methodus magis variat, quam in hydrope.

15. Inter anthydropica a priſcis ſæculis ſquilla laudatur. Sed ea adhiberi doſis debet, quæ urinam, non alvum movet; id tamen vitii habet, quod ventriculo inimicum ſit, appetitum dejiciat, & vomitum quibusdam moveat. Acre hoc remedium in quibusdam corporibus ſævos nonnunquam dolores ciet, & quibus nervi mobiliores contigerunt, ſæpe convulſiones excitat. *Hallerus* hæc incommoda camphora addita præcavere docuit; attamen cum camphora ipſa ventriculum ſæpe infeſtet, melius ſcillæ quædam ſtomachica ex cinnamomo aut mentha conjunguntur. Præterea ſcilla craſin ſanguinis ſolvit, ut ſæpe teſtantur fœces & urinæ leviter ſanguine tinctæ.

Hinc bene alternatim & ſcilla & cortex adhibetur, imo etiam eodem tempore una exhibetur. Sic ante meridiem oxymel ſquilliticum, & a meridie cortex præſcribi poteſt. Variæ ſunt ſquillæ præparationes, at ſi vim ſpectemus, cruda efficaciſſima eſt. Sævas in hydrope pectoris anxietates grana duo aut tria ſquillæ cum ſaccharo tritæ citiſſime tollunt, imo morbum ipſum non raro ſanant. *Franciscus Home* ſquillam cum æquali pondere zinziberis in anaſarca optimo cum effectu dedit. Angli ſquillæ infuſioni addunt aquam cinnamomi. Vino ſquillitico multi aſſueſcere non poſſunt, cum enormes vomendi conatus excitet. Squillam quidam galli cum juniperino conjungit. Acetum ſquilliticum intolerabilem excitat ſæpe anxietates. Efficax & toleratiſſima ſquillæ præparatio eſt oxymel ſquilliticum.

Naſturtium, & plantæ acres antiſcorbuticæ proſunt in frigida diatheſi, & in illo hydrope, quo potatores affliguntur. At damnoſæ ſunt, quoties jam adeſt febris, ſitis, ſolutio ſanguinis, & putredo, maculæque lividæ.

Hoc in caſu magis prodeſt Roob Ebuli. Conditiones illæ, quæ plantas acres antiſcorbuticas prohibent, pariter uſum martis

excludunt: Ferro quidem præſtantius remedium non habetur, quoties morbus ex ſola fibrarum laxitate & humorum mucoſa diatheſi oritur. Huic ſpeciei hydropis obnoxiæ ſunt puellæ habitus laxi, & vitæ ſedentariæ. Limatura martis pulchre conjungitur cum aromate aliquo. *Tiſſotus* ſexies per diem vicennali puellæ dedit pulverem ex drach. ſem. limaturæ martis, & gr. v. cinnamomi compoſitum. Morbus ſudoribus utplurimum cedit.

16) Aſciticos oleoſa frictione ſanari memorant *Celſus*, *Cœlius Aurelianus*, & *Galenus*. Res in deſuetudinem abiit, quam tamen *Cl. Olivier* Bathoniæ medicus revocavit, qua methodo plures hydropes in Anglia curavit. Abdomen mane & veſperi cum oleo olivarum probe per horam inungitur, & poſt aliquot dies æger profuſe mingens detumeſcit. Frictio tenaces humores ſolvit, & reſorptioni aptos reddit, abſorptos autem humores ad renes determinat. Quo minor exhalantium vaſorum exſpiratio, eo major eſt inhalantium imbibitio. Oleum ergo illitum obſtruendo vaſa cutanea inhalantia reſorptionem cutaneam externam prohibebit. Prodeſſet forte magis totius corporis illinitio. Nos ſolum abdomen inungimus, antiqui vero totum reliquum corpus

pus excepto abdomine. Subinde ſola emollientia diureſin movent reſerando videlicet, relaxandoque ſtrictos renes. Credit *Tiſſotus* uſum externum cantharidum utilem fore in hydrope ab inſpiratione cutis nimia orto; nam cantharides exſpirationem augent, a renibus divertunt, inſpirationem minuunt, ſicque pabulum morbo ſubripiunt. Hac occaſione quærere liceat, quare nonnunquam oleoſæ inunctiones proſint in quibusdam morbis cutaneis, cum tamen plerique oriuntur ex ſuppreſſa exſpiratione, & excipiunt adplicatas pinguedines. Ratio eſt, quia hi morbi cutanei ex nimia rigiditate vaſorum cutaneorum, eorum ſtrictura per acrimoniam illuc depoſitam inducta, cui utrique vitio medetur molle linimentum. Inciſio cutis ſupra malleolos antiquis inſtituebatur. Uſtione, auribus, ipſaque ſquilla externe impoſita; cutem erodebant. Hanc methodum neoterici quidam ſecuti cantharides adplicuerunt; ſed cum acria ſæpe gangrænam invitent, hinc præferenda ſcarificatio eſt. Oxymell colchicum uti ſquilla, ſed mitius agit, & iis incommodis, quæ uſum ſquillæ comitantur, caret. Si a muco tenaci, acri ſcrophuloſo, herpetico venulæ inhalantes ſuperficiem internarum conſtringantur, proſunt mercurialia cum ſapone, gu-

mo-

moſo reſinoſis. extractis amaris. Abſtinendum vero ab his, quoties æger febri jam continua laborat, & putredinis ſigna adſunt. De inſtituenda paracentheſi ſuperius actum eſt. Optima circa illam præcepta dedit *Celſus*, ubique tamen utendum faſciatione illa ſub paracentheſi, quam *Cælius Aurelianus* jam adhibuit, *Littrius* renovavit, & Cl. *Meadius* ſuum inventum credidit. Sero celebrata paracentheſis non curat, attamen ſævas anxietates per aliquot ſaltem dies tollit. De calido hydrope *Cl. Caſimirus Medicus* quædam refert: Hoc in caſu inflammatoria ſanguinis denſitas adeſt, ſerum exprimitur, inque telam celluloſam deponitur. Signa pathognomica hujus hydropis ſunt pulſus vere durus, qualis in quacunque alia inflammatoria febre eſſe ſolet. Item alia febrium inflammatoriorum ſymptomata. Juvat in hoc caſu venæ ſectio ſæpius repetita, ubi ſanguis plerumque cruſtam inflammatoriam exhibet; item potus aceſcentes, antiphlogiſtici, & leniter diuretici. Huic ſpeciei hydropis obnoxiæ ſubinde ſunt puellæ ruſticanæ, quæ robuſto & plethorico alias corpore, menſtrua quacunque ex cauſſa, v. g. terrore, perfrigeratione, diætæ erroribus, ſuppreſſa habent. Unde in *chloroſin calidam* demum in *hydropem calidum* incidunt.

Cl.

Cl. *Caſimirus Medicus* ſuadet in anaſarca balneum cinerum calidorum, quod ſequenti ratione inſtitui poſſet. Linteamen lećti perfundatur ad altitudinem quatuor digitorum cineribus calidis; his æger nudus (fors melius tenuiſſima ſyndone tećtus) incumbat, & ſale tenuiter pulverato conſpergatur, ac demum cineribus calidis obtegatur, perque ocło aut decem horas ita cubans maneat; bibat interim lene aliquod ſudoriferum aut cardiacum. Præterea extra balneum hoc cinerum fricetur corpus ſæpius pannis fumo aromatico inbutis.

In *hydrope pećtoris* aqua vel eſt in *cavitate thoracis*, vel *intra pericardium* vel *intra duos pleuræ ſaccos*, vel in *ipſa pulmonis ſubſtantia.*

Symptomata ſunt, præter illa omni hydropis ſpeciei communia, tuſſis aquoſa, chronica, ſubinde tamen ſicca. Reſpiratio difficilis, palpitatio cordis. Subita excitatio ex primo ſomno cum metu ſuffocationis, levamen ſymptomatum ex liberiori urinæ profluvio, aut ex tumore pedum aućto.

Curatur diureticis, & thoracis paracentheſi, ſi modo aquæ intra cavitatem thoracis collećtæ ſint.

In *hydrope uteri* aqua continetur in *ova-rio*, quod ſæpe monſtroſe excreſcit, & *hydro-pem ſaccatum* fœminis adeo familiarem pro-ducit, vel in *tuba fallopiana*, vel in *ipſa ute-ri cavitate*, oſculo uteri calloſo, ſcirrhoſo-que aquarum exitum prohibente. Priores duæ ſpecies non omnem eludunt curationem, po-ſterior vero ſanatur emollientibus fomentis, vaporibus ad os uteri admiſſis, peſſo cathe-tere intromiſſo.

Hydrocele ſive *hydrops ſcroti* ſedem habet

1) in *tunica cellulari funiculum ſpermati-cum ambiente*,

2) in *tunica cellulari ſcroti*,

3) in *cellulis ipſius funiculi ſpermatici tu-midis*,

4) inter *vaginalem tunicam & albugineam teſtis*,

5) in ipſa *teſticuli ſubſtantia*.

Curatur

1) Punctura.

2) Diſcutientibus externis, uti ſunt her-bæ aromaticæ in vino rubro coctæ, ſpiritus vini camphoratus. Unguentum martiatum cum ſpiritu ſalis ammoniaci. Camphora variis mo-dis adplicata &c.

3) Hydragogis.

Hy-

Hydrocephalus ſive hydrops capitis infantibus recens natis familiaris eſt. Cognoſcitur capite grandiori, ſuturarum ſolito majori dehiſcentia, paralyſi, lethargo, accedentibus ſubinde convulſionibus, demum apoplexia. Incurabilis ut plurimum eſt.

Sedes mali eſt

1) vel intra *integumenta externa & cranium*, tuncque curationem plerumque admittit,

2) intra duram & piam matrem,

3) intra piam & cerebrum,

4) in ventriculis cerebri.

Curatio nihilominus tentari poteſt

1) Diſcutientibus externæ adpoſitis, item cucupha ex cerato ſerico (Wachstaffet, vel engliſchen Taffet.) confecta, quæ continuum cutis madorem in loco, cui adplicatur, excitat. Hoc loco præterire non poſſum, quin egregii hujus medicamenti vires non laudem in *rheumatismis rebellibus*, *pedibus podagricis*, quibus ſericum hoc ceratum adplicatur, continuamque excitando diaphoreſin materiam intus depoſitam evocet. Hinc podagricis ſoccii inde utiliſſime parantur.

2) Leniſſima diuretica, ſcarificationes &c. tentari poſſunt.

Spina bifida eſt duarum vertebrarum *colli, dorſi*, vel *lumborum dehiſcentia* cum tumore aquoſo ſuperpoſito. Morbus hic recens natis familiaris pariter eſt, poſſetque vocari hydrops ſpinæ dorſi. Aqua enim in theca vertebrarum collecta viam ſibi facit extrorſum, duas a ſe invicem vertebras removendo, & tumorem ibi œdematoſum excitando. Sæpe morbus hic cum hydrocephalo conjunctus eſt, attamen & ſolus invenitur.

Symptomata, ſi ſolus adſit, ſunt extremitatum inferiorum, crurum ſcilicet impotentia, ſphincterum ani & veſicæ paralyſis.

Curam non admittit, & ſi tumor aperiatur, repentina mors accedit. Palliativa ſolummodo locum habent, quatenus ſcilicet ad tumorem ea adplicantur, quæ cutem reddunt denſam, firmamque, & ruptioni minime obnoxiam; hinc ſolutione ſachari ſaturni in aqua tumorem crebro lavare oportet, & aluta bene cuſtoditam tenere.

Hydropis abdominalis alia ſpecies datur, ſi aqua *extra ſaccum peritonei, ſive intra peritoneum & muſculos*, vel *intra ipſos abdominis muſculos* continetur. Sunt, qui dicant, hanc ſpeciem hydropis *pectoris* fœminis magis familiarem eſſe, idque ob preſſionem thora-

cu-

culorum, liberum ſanguinis fluxum prohibentium.

Curatur optime *paracenteſi*, ligatura ad locum ante hydropicum, & *frictionibus aromaticis.*

De *anaſarca ſcarlatinam ſequente* Cl. *Plenciz* optime ſcripſit; ea autem diureticis, roborantibus, frictionibus facile cedit; oritur ex imperſpirabilitate cutis, ob epidermidem novam, poris non bene perviam. Hinc vicariæ evacuationes ſunt inſtituendæ.

In *anaſarca ſcorbutica* ſuccus cochleariæ cum vino albo.

Hydatides ſunt veſiculæ pellucidæ aquoſum humorem continentes, & ſubinde racematim cohœrentes. Sedem ſuam habent in *tela celluloſa*, item in *vaſis lymphaticis*, quæ *juxta ſuas valvulas* ampliantur; ita ut bullas efficiant, ſive hydatides. Cauſſæ eædem, quæ in omni hydrope, curam vero vix admittunt.

Hydatides disruptæ aquam in cavitatem effundunt, & verum hydropem faciunt.

MALUM HYPOCHONDRIACUM.

Ad morbos convulſivos pertinet malum hypochondriacum, quod ab antiquioribus atræ

bi-

bili a *Galeno* in artem medicam introductæ totum tribuebatur. Superioribus ſeculis cacochyliæ ventriculi inteſtinorumque, item ſanguini denſo acido, terreſtri, auſtero, humoribus fœculentis, aduſtisque, lienique morbus hic adſcribebatur. Inter neotericos *Boerhaavius* veterum atram bilem quaſi a morte reſuſcitavit, probavitque ſanguinem orbum ſua mobiliſſima parte, atrum, ſpiſſum, terreſtrem per abdomen tardiſſime motum, omnium illorum ſymptomatum cauſſam exiſtere, quorum complexus morbus hypochondriacus appellatur. *Stahliani* huic theoriæ propiores ſunt, dum afferunt, ſanguinem orgaſticum, plethoricum, ſpiſſum, exitusque per vaſa hæmorrhoidalia molientem, horum malorum cauſſam eſſe. Ita Clari hi viri malum hoc potius fluidorum vitio, quam ſolidorum ſtatui præternaturali adſcribunt, quamquam *Stahlius* quædam immiſceat de ſpaſticis contractionibus, criſpaturisque ſolidorum. Verum poſtquam ſolidorum conſideratio adcuratior haberi cepta eſt, *Williſius* inter hos de *morbis convulſivis* aſſerit, affectus hypochondriacos maxima ex parte eſſe convulſivos, & a genere nervoſo repetendos. *Sydenhamus* morbum hyſtericum in fœminis & hypochondriacum in viris eundem eſſe ait, & ab ataxia

ſpi-

ſpirituum modo in hanc modo illam partem corporis irruentium oriri. Etſi Cl. hic auctor a vera morbi cauſſa noſtro judicio aberraverit, nihilominus in deſcriptione adcuratiſſima ſymptomatum inter omnes eminet. *Hoffmannus* cauſſam non in liene, nec in vena portæ, ſed in ventriculo & inteſtinis collocat, quæ viſcera totum ſyſtema nervorum in conſenſum trahunt. Statuit ergo cauſſam proximam eſſe, harum partium nervoſarum debilitatem & mobilitatem, accuſatque præcipue motum periſtalticum languentem & perturbatum. Verum cum hypochondriaci & hyſtericæ obſerventur omnis generis, temperamentique, qui aſpectu gaudent vegeto, qui robuſti, ſuccis bonis pleni ſint, nullo humorum pravorum, nullo hæmorrhoidum incommodo laborent, hique æque graviter afficiantur, ac alii, qui debiles cacochymicique vivunt, patet aliam formari morbi ideam debere.

Morbus a *Boerhaavio* deſcriptus ſub nomine, *cacochymiæ atrabilariæ* toto cœlo diverſus eſt a morbo hypochondriaco. Hinc Ill. Commentator aliam mali hypochondriaci ſpeciem ſtatuit *ſine materia* appellatam.

Cauſſa proxima eſt ſpasmodica viſcerum abdominalium affectio cum nimia ſenſibilitate

& mobilitate ſyſtematis nervoſi: ſive vis fibrillarum muſcularium, præcipue viſcerum abdominalium irritabilis aucta nimis, vividaque cum nimia ſenſibilitate & nervorum mobilitate.

Cauſſæ remotæ ſunt vita ſedentaria, ſtudia, vigiliæ, evacuationes conſuetæ retentæ, aut nimiæ, venus nimia, animi pathemata frequentia &c.

Symptomata ſunt: dolor aut potius gravitas capitis. Dolor in exigua parte verticis, quem clavum hyſtericum in fœminis appellant, ſenſuum obnubilatio ſæpe repentiora, ita, ut apoplexia ſeſe jamjam tangendos putent; inſignis & peculiaris animi dejectio, repentini terrores, ſubitanei calores, ſudoresque, vertigo, repentina ſuffocatio cum tumore per modum ſtrumæ protruſa, quem globum hyſtericum appellant, tinnitus aurium, dentium ſtupor, palpitatio cordis, ptyalismus, tumor hypochondrii ſiniſtri a flatu concluſo, ſubita pectoris oppreſſio, dolores vagi muſculorum, intercoſtalium præcipue, attactum non ferentes. Flatus, borborygmi, tormina, debilitas peculiaris in genubus, & eorundem frigus, pulſus inæqualis omnimodo, vomitus ſubinde materiæ acidiſſimæ, vel viridis, dolor renum, & veſicæ, mictus frequens,

quens, ſubinde paucæ, ſubinde vero copioſiſſimæ & cryſtallinæ urinæ. Sæpe mictus difficilis. Frigus artuum, pedum præcipue; riſus & lætitia ſupra modum, quam triſtis ſtatim melancholia excipit. Animus ad iram proclivis admodum. Apoplexia hyſterica & convulſiones labiorum, digitorum &c. ſubitaneæ paralyſes brachii, linguæ &c. Morbus hic ſæpe per paroxysmos hominem adoritur ita, ut concurſus complurium hujusmodi ſymptomatum inſultum hypochondriacum efficiat.

Malum hyſtericum idem eſt cum hypochondriaco, & falſo adſcribebatur utero aſcendenti, locove moto; uterum licet loco ſuo manentem, itemque acrimoniam nervos uteri irritantem, lympham, ſanguinem, ſemen corruptum uterum primo, dein & aliquas partes irritare putat *Lanciſius*, *Hoffmannus*, *Pitcarnius*, ſed *Carolus Piſo*, *Williſius* ac demum *Sydenhamus* utero abſoluto ab omni culpa morbum ad nervos, nervorumque principium transtulerunt, ſpirituum ataxia in auxilium vocata Cl. *Tiſſot* ſoli ſenſibilitati & irritabilitati nimiæ omnes motus hyſtericos & hypochondriacos adſcribit, qui toties oriuntur, quoties vel leviſſimus ſtimulus accedit. Itaque mali hyſterici & hypochondriaci *cauſſa prædis-*

diſponens erit *ſenſibilitas* & *irritabilitas nimia*, de qua ante *Hallerum* & ejus diſcipulos ſolus Cl. *Gorterus* ſeorſim & expreſſis verbis egit.

Cura extra paroxysmum reſpicere debet

1) cauſſam irritantem, ſæpe excitantem, quæ varia admodum eſſe ſolet, unde etiam illa diverſitas in curandis hisce morbis oritur. Hinc quoque illa medicorum diſſenſio, ubi alii e. g. venæ ſectionem vetant, alii vero eandem tanquam ſumme neceſſariam laudant, commendantque. Hinc quoque eſt, quod cortex & mars profuerint ſæpe, nocuerint tamen non raro; quod ſic dicta antihyſterica paroxysmos fecerint graviores. Ad ſequentia capita curatio omnis reduci poteſt ſcilicet 1) ad evacuationem per venæ ſectionem in fœminis laute & opipare viventibus, ac plethoricis, ubi vaſorum turgor ſymptomata hyſterica excitat.

2) In diatheſi inflammatoria, quæ ſola in debili alias corpore nervos irritat, præter venæ ſectionem juvant omnia ea, quæ phlogoſi oppoſita ſunt, diæta vegetabilis.

3) Perſæpe perficitur ſic dictis antihyſtericis aloë, aſa fœtida, galbano, caſtoreo, opopanace, myrrha, camphora, ſale ſuccini volatili, ſpiritus ſalis ammoniaci, cornu cer-

vi &c. patet hæcce medicamenta tantummodo locum habere, ubi laxior paulo ſolidorum compages, & mucoſa diatheſis humorum, morbum producunt. Patet ſimul, quod hæc ſic dicta antihyſterica in utraque priori cauſſa ſumopere nocerent.

4) Purgantibus amaris & roborantibus, ubi morbus a pituita præprimis primarum viarum originem trahit.

5) Sunt qui poſt diuturnos morbos, poſt multas evacuationes ſanguineas, poſt nimiam ſeminis deperditionem ſymptomata hyſterica & hypochondriaca patiantur; his fractos ſpiritus, laxamque ſolidorum compagem optime reſtaurat cortex peruvianus, juſcula nutrientia, & lac; item equitatio; amaricantia omnis generis, aquæ ferratæ, & mars.

6) Ubi omnia nihil profuere, laudat *Sydenhamus* curam lacteam.

Ex hucusque dictis patet reſponſio ad ſequentes quæſtiones

1) quare methodus Sydenhamiana, cortice & marte curandi &c. tamen non ubique ſatisfacit, imo ſæpe malum auget. Quia ſcilicet uni tantum morbi hyſterici & hypochondriaci ſpeciei a ſola laxitate & debilitate oriundæ dicta methodus accomodata eſt.

2)

2) quare tam pauci inde curantur? quia medicos ſæpe piget veram cauſſam exſpiſcari, qua ignorata nihil proficitur, item, quia ob verſatilem animum, ſummamque inconſtantiam, quæ horum morborum ſollemne ſymptoma eſt, medicum æger continuo mutat.

3) Quare ruſticis & duro victu utentibus morbus hic minus frequens? quia fibræ muſculares in his minus ſunt irritabiles.

7) Ubi a nimio ſtudio, amore deluſo, vigiliis &c. malum ortum eſt, juvat quies animi, removendo ſcilicet libros, ruſticando, itinerando.

LUES VENEREA.

Morbus, quem modo ſumus pertractaturi, definitione caret. Hujus ideam nobis ſola multiplicium ſymptomatum enarratio ſuppeditabit. Cum anno 1494. duce Chriſtophoro Columbo America innoteſceret, lues hæc a militibus itineris hujus ſociis ex inſula St. Dominici ad nos pervenit, jamque per omnes notas mundi plagas vulgata eſt. Immaniter ſtatim, ut primum innotuit, ſævire cœpit, novisque identidem ſymptomatibus ad-

junctis. Ab anno 1610, nullum amplius novum ſymptoma acceſſit, nec illico, uti antea, ſanguini ſe communicat, ſed perſæpe in partibus externis ſolummodo ſedem figit.

Communicatur

1) labe hæreditaria,

2) tactu, ſcilitet coitu, lactatione, & ſuſcepto hominis imbuti ſudore, inductis infecti veſtibus &c.

Sedes mali primaria eſt in partibus corporis adipoſis, mucoſis, lymphaticis; verum non æquales ubique radices agit, ſic una natura præ alia magis minusve læditur, unus homo præ altero gravius afficitur, pro ratione ſcilicet *quantitatis* veneni venerei, *qualitatis*, cum id acrius mitiusque eſſe poſſit, item pro ratione *temporis* breviori, longiorive, quo corpori inhæret, item pro ratione *temperamenti*, *ſexus*, *ætatis* &c. Hinc ratio habetur, quare alii inficiantur, alii vero iisdem in circumſtantiis immunes maneant. Infantes ob cutis teneritudinem reſorptioni aptiorem facile ſuſcipiunt venenum hoc, ſi e. g. iisdem orbiculis, vaſis, cultris, utantur, quibus antea homo infectus uſus fuit.

Nullum hucusque remedium prophylacticum inventum eſt. Qui vino & carnibus utplurimum victitant, gravius ab hocce vene-

neno afficiuntur, quam qui diæta vegetabili. & refrigerante utuntur. Quænam veneni venerei natura ſit, difficile dictu eſt. Fuere, qui indolem ejus acidam, alii vero, qui putridam, item alii, qui id in inſectis quibusdam conſiſtere autumarunt. Id ſolummodo per obſervationes conſtat, virus hac in parte, cui inhæret, ruborem, calorem, tenſionem & dolorem concitare, & ulcera reptantia producere, partem ſanguinis lymphaticam coagulare, ſedem imprimis in glandulis figere, non eſſe volatile, nec cum aëre circumferri, ulcera venerea percurata non facile cicatrices relinquere, diu ſæpe in corpore latitare, etiam per annos poſſe, quin ſui indicium præbeat; ſæpe parentem, infectum licet, ſed ſine ullo ſymptomate, morbum nihilominus in uxorem & proles transferre, qui inde graviſſime patiuntur; item ſub variis variorum morborum larvis latitare, diverſiſſimasque infirmitates mentiri poſſe, uti ſunt cephalææ, lippitudines & ophthalmiæ, cæcitas, auditus deperditus, dolor aurium, ulcera narium, anginæ, aphthæ, raucedo, tuſſis, dolor lateris, ſputum ſanguinis, dyſpnœa, hectica, dyſenteria, iſchias, fluor albus, tabes, icterus, quotidiana aut tertiana febris, debilitas in articulationibus, rheumatismus, poda-

dagra, convulſio, epilepſia &c. De ſingulis hiſce morbis per obſervationes conſtat.

Lues hæc in duo ſtadia neceſſario diſtingui debet, ſcilicet *in luem veneream topicam*, ubi intacta humorum maſſa ſolummodo pars quædam externa affecta eſt, & *in luem radicatam ſive confirmatam*, ubi virus ſanguini ſeſe jam miſcuit, perque corpus vagatur. Hanc inter duo ſtadia diſtinctionem probe callere oportet, cum ei diverſa utrobique methodus ſit ſuperſtructa. Cum vero morbus hic tot ſymptomatibus ſtipetur, quorum ſingula tanquam morbi peculiares conſiderari debent, juvabit omnia hæcce ſymptomata perſequendo totius morbi tractationem abſolvere. Initium autem facimus a gonorrhœa.

Gonorrhœa alia eſt *venerea* alia *non venerea*. *Venerea* vel eſt *virulenta*, vel *non virulenta* aut *habitualis*. *Virulenta* eſt ſui *generis*, ſive *ſpecifica*, a veneno ſcilicet venereo orta in glandulis urethræ. Pro ſitu glandularum affectarum varii gonorrhœæ gradus ſtatuuntur. Sic ſi glandula urethræ juxta frenulum ſita affecta ſit, primus erit gradus. In ſecundo gradu malum ulterius ſerpit, glandulas Cowperianas afficit. In tertio gradu proſtata quin & veſiculæ ſeminales laborant; ſed quiscunque demum gonorrhœæ gradus obli-

tineat, in plura ſemper ſtadia dividi morbus debet. Scilicet in inflammatorium & ſecundo in ſtadium *exareſcentiæ*, quod ut rite percipiatur, juvabit ſymptomata, eorumque explicationem ſubjungere.

Scilicet ad diem circiter quartum ab infectione oritur in glande titillatio, conſpicitur in orificio urethræ aliquid ſaniei tenuis; ipſum vero orificium tumet, rubet, hiatque; mictus cum ſenſu puncturarum & caloris. Pus primo tenue, fit viſcidum, copioſum; rigor, tenſio, erectioque dolorifica penis, qui tamen ob inflammatum contractumque frenulum in rectum extendi nequit; hinc doloroſa admodum penis incurvatio ſequitur. Pus vel viride, vel flavum, vel ſanguine ſtriatum. Lotium cum ingenti dolore præcipue ſub ejus finem mittitur; tandem ſi perverſa curatio accedat, ſymptomata hæc omnia ſedantur, excepto fluxu materiæ, quæ tamen alba, & æquabilis facta, viſcida & ductilis eſt. Sic finito primo ſtadio ſecundum incipit. Ratio phœnomenorum & ſymptomatum eſt, quod virus venereum per vaſa abſorbentia, præcipue lymphatica aſſumptum ad glandulas urethræ deponatur, mucoque ibi naturaliter ſecerni ſolito inhæreat, & acri ſuo ſtimulo glandulam ejusque orificium irritet, unde major humorum

rum omnium ad partes irritatas affluxus, & inflammatio oritur, quæ ab alia quacunque inflammatione per ſe diverſa non eſt, & ab aliis ſolummodo per ſpecificum hunc ſtimulum, materiæ ſcilicet venereæ, diſtinguitur. Glandulæ hæc irritatæ inflammatæque rationem mictus difficilis, ardentisque, erectionum dolorificarum & frequentium ſuppeditat. Fluxus materiæ non ab eroſione, aut exulceratione deduci debet, ſed a copioſiori ſtimulatarum glandularum ſecretione. Pravus vero color ſecretæ materiæ inde eſt, quod virus venereum eam immutaverit. Exitus hujus inflammationis, ſi bene tractetur eſt *benigna reſolutio*, quæ alterum gonorrhœæ ſtadium, *exareſcentia* dictum conſtituit. Sublata enim inflammatione, ſtimuloque venereo omni ablato, pergit aliquamdiu materiæ ſed albicantis & benignæ fluxus, idque duplici ex ratione, tum quod oscula glandularum ſecernentium tempore morbi fuerint relaxata, cum etiam, quod major humorum ſecernendorum affluxus ablato licet ſtimulo materiæ venereæ, nihilominus aliquamdiu perſeveret, ſecundum legem, quæ in toto reliquo corpore pariter obtinet. Hinc in altero ſtadio materia effluens venerea non eſt, nec etiam purulenta ſed eſt mucus ille naturalis urethram obliniens, nunc vero ex di-

ctis rationibus copioſius ſecretus. Contractis glandularum oſculis, partibusque denuo roboratis, & fluxu idcirco ſubſiſtente, ſtadium alterum feliciter terminatur.

Contingit ſubinde, ut morbo non bene tractato, aut accedente licet exquiſitiſſima medela, in malo graviori, ſæpiusque repetito, tempore ſtadii primi, oscula glandularum erodantur, & demum calloſa evadant. Hinc ablata etiam omni materia venerea pergit fluor materiæ tenuis, ſanioſæ, aquoſæ, pellucidæ præcipue poſt paſtum, equitationem, diuturnam ambulationem, ſaltationem, item poſt ſomnum, tempore æſtivo calido, poſt uſum diætæ largioris, vinique, cum levi ſubinde in glande penis punctura, cum mictu ſubinde difficili, calenteque, oritur tunc gonorrhœa non virulenta, ſeu habitualis, quæ nonnunquam difficile curatur.

Curatio ſequenti ratione perficitur:

1) In ſtadio inflammatorio ſtimulus materiæ venereæ inflammationem excitans auferendus frequenti glandis ablutione cum aqua tepida, item frequentiſſima decocti cujusdam emollientis injectione. Huc ſervit decoctum altheæ, aqua tepida cum ſyrupo violarum, ſyrupus de althea &c. In injectione facienda urethra poſt mali ſedem digitis leviter compri-

ma-

matur, ut injecta materies ultra quam neceſſe, progredi non poſſit, ſed denuo reſilire debeat, venereum venenum ſecum aufferens. Cavendum tamen, ne rudius injectio hæc peragatur, ſicque inflammatæ partes magis adhuc irritentur.

2) Inflammatio præſens topica aufferenda eſt. Hinc methodus antiphlogiſtica omni modo adhibeatur. Huc ergo facit in corpore plethorico venæ ſectio, potus antiphlogiſtici ex althea, hordeo, emulſiones &c. ſubinde leniſſimæ alvi ſubductiones mediante caſſia, manna, tamarindis; fotus penis in decocto altheæ, lacte tepido, cataplasmata emollientia. Abſit vinum, aromata, equitatio, aliaque graviora corporis exercitia, venus & ideæ venereæ. Victus ſit vegetabilis.

In ſecundo ſtadio, roborandæ partes ſunt, fluxus avertendus & cohibendus. Hinc proſunt roborantia, balſamica, ore aſſumpta, & in penem injecta. Eximiam hic utilitatem præſtat rheum ſæpius ſed parcius datum, cum & avertendo, ac verſus alvum determinando, & ſimul roborando profit. Myrobalani, rheum toſtum, therebinthina, decoctum corticum aut radicum roborantium, aquæ martiales, aqua calcis, balnea penis frigida curam abſolvunt. Toto tamen tempore ſtadii primi in-

injectiones mercuriales, tanquam verum veneni venerei antitodum, faciendæ ſunt. In uſu mercurii hic canon obſervari debet, ſcilicet, mercurium, quam proxime fieri poteſt ad locum affectum, adplicari debere. Hinc panacea mercurialis in ſyrupo violarum & aqua roſarum probe ſoluta injectionem ſuppeditabit e. g.

R. Aquæ roſ.
Syrup. viol. ana. unc. jβ.
Panac. mercurial. dr. β. vel
Mercurii dulc. ſcrup. j.
M.

Attamen in paulo graviori malo conſuetius eſt ipſum mercurium vivum mucilagine gummi arabici ſubactum, dilutumque injicere, cum fere omnia mercurii præparata acrimonia inflammationi inimica non careant. Poteſt etiam ad glandem litus mercurii fieri. Si vero exacto primo ſtadio id ſequatur, quod ſub nomine gonorrhœæ non virulentæ ſeu habitualis deſcripta eſt, ab ulcusculo glandulæ calloſo ortum, indicatio erit callum aufferre injectionibus acrioribus & modice rodentibus, dein ulcus dempto callo conſolidare medicamentis adſtringentibus internis, injectionibus ſtipticis, medicamentis balſamicis, aquis martialibus (dictari hic variæ formulæ poſſunt,

tum

tum in hoc, cum in altero gonorrhœæ ſtadio, utiles). Juvat hic varios gonorrhœæ curandæ methodos examini ſubjicere.

1) Sunt qui ad initium purgantia valida, eaque mercurialia ſuadeant; verum hæc in inflammatione urethræ, quæ gonorrhœam conſtituit, æque nocent, ac in quacunque alia inflammatione topica, cum motum humorum augeant, & inflammationem ulterius promoveant, virus in ſanguinem antea non infectum reducant. Hinc aut nulla purgatio, aut leniſſima tantum ex antiphlogiſticis præparata exhibeantur, quæ tamen ipſa omittenda erit, ſi corpus plethoricum aut juvenile fuerit, cum exacerbatas vel a leniſſimo purgante antiphlogiſtico gonorrhœas viderimus.

2) Multi, iique chirurgi potiſſimum, oborta gonorrhœa injectiones ſtypticas, ſaturninas adhibent, inde materia venerea ſuperficiei urethræ infixa adhibito medicamento ſtyptico effluere prohibetur, & intimiores penis partes ſubire cogitur, unde tot tamque gravia nonnunquam mala oriri neceſſe eſt. Prava hæc methodus viam lui confirmatæ aperit. Si quis hac methodo tractatus de tumore teſtium, bubonibus conqueri cœperit, illico emollientiſſimæ injectiones, balnea penis tepida, potus antiphlogiſtici emollientesque

præ-

præſcribantur; quo fluxus male ſuppreſſus denuo reſtituatur.

3) Alia eſt methodus per diuretica, eaque ſæpe acerrima, qualia ex cantharidibus parantur, gonorrhœas curandi; verum non medici, ſed inſanientis eſt hominis, in urethræ inflammatione, mictuque ardente ac ſumme doloroſo ea exhibere, quæ ex ſua natura ſyſtema uropoieticum tam graviter inflammando afficiunt.

4) Eo inſaniæ olim quidam proceſſere, ut nefandæ praxi gonorrhœa laborantibus manuſtuprationem ſuaſerint; ſed auctus humorum motus affluxusque ad partes affectas ſtadium primum reddit gravius, unde nonnunquam moleſta illa, & difficillime curabilis gonorrhœa habitualis oritur.

5) Opinio æque prava ac vulgata eſt eorum, qui coitu cum fœmina non infecta, eaque adhuc virgine celebrato, ſanandos ſe fore autuminant. Graves ex inſani hac praxi noxas ex rationibus ſupra allatis facile perſpicimus. Cujuslibet cordati medici erit ægrotos ſuos vanitatem hujus opinionis noxiamque tum ſibi ipſi, cum & alteri perſonæ, quæ ab ipſo luem trahit, inferendam, graviſſimis argumentis demonſtrare.

6) Patet ratio, quare gonorrhœa laborantes ſalaciores tunc temporis ſint, & ſubinde maxime doloroſam ſatyriaſin experiantur. Mens quieta, omnibusque venereis ideis vacua, multum ad celeriorem curationem affert.

Gonorrhœa fœminarum peculiarem quandam animadverſionem meretur. Poſt aliquot ab infectione dies ſentitur pruritus in pudendis, madorque, accedit inflammatio, tumor, calor, dolorque. Ardor urinæ minor quam in viris; pus flavum, virideque, raro tamen ſanguineum. Sedes morbi æque in glandulis urethræ, magis tamen adhuc in glandulis vaginæ eſt. Facilius morbum tolerant fœminæ, quam viri, tum quod glandulæ vaginæ ſæpius, quam urethræ afficiantur, unde, cum urina affectas vaginæ glandulas non præterlabatur, cumque præterea purulentæ materiæ facilior pateat exitus, minor univerſim dolor. Attamen cum intra vaginæ plicas nihilominus materia ſubinde reſtitet, plerumque difficilior curatu eſt.

Difficilis admodum gonorrhœæ muliebris diagnoſis eſt a fluore albo. Nam & fluor albus ſubinde diverſicolor, & acris evadit. Fuere, qui fluorem album tunc eſſe venereum ſtatuerunt, ſi is non intermedio ſolum inter menſes tempore, ſed una ſimul cum menſibus

fluat.

fluat. Verum tamen infidum id ſignum eſſe, in noſocomio practico ſemel vidimus. Alii ulcera pudendorum infallibile ſignum diagnoſticum fluoris venerei exiſtimant: at acris fluor, etſi nequaquam venereus, ſæpe labia pudendorum arrodit. Certiorem diagnoſin ex eo hauriendam exiſtimo, ſi mulier antea fluore albo non laborarit, ſique fluor, ut primum ſeſe oſtendit, ſtatim acer eſſe incipit, urinæ ardore, pravoque materiæ colore ſtipatur. Fluor enim albus non venereus ſenſim incipit, mitis eſt longo ſat tempore, nulloque alio graviore ſymptomate concomitante. Sæpe præcedit menſtruorum aliqua anomalia: tandem ſi diu duraverit admodum, ſenſim, & tantum per intervalla acris eſſe incipit, ita tamen, ut urina fere ſemper absque incommodo mitti poſſit. Præterea in fluore albo non venereo color materiæ diu albicans eſt, & ſæpe, licet ſumme acris evaſerit, colorem hunc non mutat. Contra in fluore venereo materia ut primum ſeſe oſtendit, pravo colore prædita eſt.

De fluxu ſeminis non venereo notanda ſunt ſequentia. Sunt qui in depoſitione alvi paulo durioris adhibito ad exprimendas fœces niſu ſemen amittunt, ob compreſſas ſcilicet eadem vi veſiculas ſeminales. Prodeſt his al-

alvum mollire. Præterea debiles, reconvaleſcentes ex longo morbo, venere exhauſti, eam ſphincteri veſicularum ſeminalium debilitatem, laxitatem inducunt, ut lecti tepore excitatus major ad lumbos humorum affluxus pollutiones nocturnas, maxime debilitantes faciat. Qui aut manuſtupratione, aut nimia venere nimiam ſibi partium irritabilitatem, humorisque prolifici tenuitatem acrimoniamque contraxere, quive præterea mentem ideis venereis innutritam habent, multiplices intra ſe cauſſas fovent, quæ nimiam ſeminis per pollutiones nocturnas deperditionem, virium ſanitatisque jacturam inducunt. Roborantia, cortex & lac, aquæ ferratæ, moderatum corporis exercitium, ruſticatio, mens aliis ideis occupata multum poſſunt. Egregios in juvenibus pollutione nocturna laborantibus effectus experimur ab emulſione camphorata, circa veſperam ſumpta. Juvat itidem in tali caſu durioribus ſtragulis, ſeta equina farctis, incumbere, tegumenta plumis repleta removere, cœna uti vegetabili, ſineque vino; veſperi corpus non nimis motu exercere, nam aut diuturna veſperi ambulatio, aut equitatio vectioque in curru, pollutioni facile anſam præbet. Juvat præterea corium mollius per noctem lumbis ſubdere. Fuere, qui ut pri-

ut primam erectionem in ſomno ſenſerunt, expergefacti e lecto exſilierunt, cum veſperi cubitum eunte, id ſe facturos, ſibi propoſuerunt.

Si inflammatio urethræ de qua paulo ante, egimus, ulterius ſerpat, & ob partium vicinitatem *vaſa deferentia*, *totum funiculum ſpermaticum*, *epidydymidem*, & *demum teſtem* ipſum corripiat, tumor teſtium venereus orietur.

Major veneni venerei qualitas ejusque *acrior indoles*, *diatheſis in ægroto inflammatoria gonorrhœa tempore ſtadii primi ſcilicet inflammatorii*, *male curata* e. g. per *balſamica*, *adſtringentia*, *interne ſumpta* & *in penem injecta*. *Repetitus tempore gonorrhœæ coitus*, *diæta calefaciens* facile teſticuli tumorem producunt.

Tumor hic inflammatorius vel *benigne reſolvitur*, id quod *redeunte denuo gonorrhœa* utplurimum fit, vel in *ſuppurationem*, vel *gangrænam*, vel *ſcirrhum* abit.

Hinc nova diviſio oritur ſcilicet

1) *teſticuli venerei inflammati.*
2) *ſuppurantis*,
3) *gangrænoſi*,
4) *ſcirrhoſi*,

vel ſunt *morbus mere topicus*, de quo in præſentiarum agimus, vel *ſymptoma luis confirmatæ.*

Si ſit malum mere topicum *teſticulus inflammatus*, curatur methodo omnimodo antiphlogiſtica, ſcilicet venæ ſectione, fomentis, cataplasmatibus, *adhibito ſuſpenſorio,* diæta tenuiſſima, copioſo potu emolliente. Præterea externa adplicetur unguentum ex mercurio vivo, gummi arabico ſubacto & unguento de althea. Abſint purgantia, niſi forte in leviori inflammatione, ubi leniſſimi ex tamarindis & caſſia quadrare poſſunt. Aliqui malo ſane conſilio vomitum per turpethum minerale concitandum ſuadent.

Teſticulus ſuppurans curari debet, uti quæcunque alia alibi exercitata ſuppuratio, hoc ſolo diſcrimine obſervata, quod unguentis & emplaſtris in ſuppurationibus ſolitis ſemper antidoton veneni venerei, ſcilicet mercurius jungi debeat.

In gangræna teſticuli incipiente cortex & camphora interne externeque adplicata, in graviori vero extirpatio proſunt.

Teſticulus venereus ſcirrhoſus ſæpiſſime ſanatur emplaſtro de cicuta addito mercurio. Item emplaſtrum de ranis cum mercurio, unguento quod ex gummi ammoniaco, aceto ſquillitico ſoluto & ex mercurio vivo

te-

terebinthina ſubacto paretur. Teſticulus cancroſus exſtirpari debet.

Tumor glandularum inguinalium a ſuſcepto veneno venereo oriundus *bubo venereus* appellatur. Bubo hic vel eſt *malum mere topicum*, ſanguine ſcilicet non infarcto, vel eſt *ſymptoma* luis confirmatæ.

Diagnoſis inter malum mere *locale* & inter *ſymptomaticum* paulo difficilior, nihilominus bubonem in lue confirmata alia ſimul luis confirmatæ ſymptomata, aut præcedunt, aut concomitantur; ſæpius oriuntur absque nova occaſione data, facileque diſparent, brevi tamen de novo redituri. Bubo ſanguine non infecto ortus, & mere localis, ſimplicem gonorrhœam aut cancrum ſibi junctum habet.

Alia neceſſaria diviſio eſt, *in inflammatorium*, *ſuppuratorium*, & *ſcirrhoſum* In bubone inflammato ſemper benigna reſolutio tentanda eſt. Sunt qui ſibi ab hac methodo ex ea ratione timeant, quod, uti illi aſſerunt, venenum venereum in maſſam humorum urgeatur, & luem dein confirmatam producat. Verum cum in reſolutione bubonis inflammati præter emollientia reſolventiaque medicamenta ſemper ſimul mercurialia jungi debeant, inanis a lue confirmata metus erit. Præterea bubo etiam ad ſuppurationem productus æque

viam ad luem confirmatam ſternere poteſt, ob pus bubonis venereum identidem reſorptum, niſi mercurialibus obviam eatur. Bubo ergo inflammatus eandem expoſcit medendi rationem, quam in teſticulo venereo inflammato recenſuimus, Eadem quoque, quæ ibi de *ſuppurante*, itemque de *ſcirrhoſo* teſticulo dicta ſunt, facillime ad bubonem tam ſuppurantem quam ſcirrhoſum transferri poſſunt. Hoc adhuc obſervo, ſcilicet gonorrhœam curatu faciliorem eſſe ex eo, quod veneno venereo exitus pateat, frequentesque & admodum ſalubres affectæ partis ablutiones fieri queant. Difficilior curatio teſticuli venerei eſt, attamen ſæpiſſime in gonorrhœam tranſit, facile poſtmodum curandam. Cum autem in bubone exitus materiæ venereæ tam facile parari nequeat, hinc frequenter, ni ſcite tractetur, in luem abit confirmatam, hæcque ratio eſt, cur magis hic quam in gonorrhœa aut teſticulo venereo, mercurialibus externe adhibitis, quin & interne ſumendis opus ſit.

Ulcera glandis venerea, ſive cancri venerei, fiunt a materia venerea, quæ vel glandulas penis ſebaceas obſtruit, inflammatque, vel vaſcula ejusdem arodit, præcipue ſi inter præputium & glandem diu reſtitet, neque ſæpius abluatur. Tale ulcus incipit cum macu-

la

la rubra, quæ in papulam miliarem, calentem & rubentem elevatur. Tandem albeſcit ejus apex, & ſuppuratur. Pus ſi linteolo excipiatur aut induſio, ſemper flaveſcit. Ulcera inde nata plerumque exigua ſunt, circularia, limpo læte roſeo cum ſubſtantia interna albicante & lardacea: ſubinde limbus albicans & calloſus eſt, intus vero ſubſtantia profunde rubra. Cancri hi venerei ſunt pariter morbus mere localis, ſanguine ſcilicet non infecto, vel ſunt ſymptoma luis confirmatæ; in hoc altero caſu ſæpius absque nova cauſſa repente prodeunt, & cito iterum disparent, idque ſæpius alternatim. Subphlogoſis in hiſce ulcusculis prædominatur; cura potiſſimum antiphlogiſtica eſſe debet. Frequens balneum penis ex aqua tepida, decocto emolliente, lacte tepido &c. & crebra purulentæ materiæ abſterſio inter palmaria remedia cenſentur. Mercurius vivus mucilagine gummi arabici ſubactus ad locum affectum adplicetur. Si vero magna ulceris impuritas potius quam phlogoſis adſit, ſi ſubſtantia lardacea, margineſque calloſi conſolidationem impediant, juvabit eadem unguentis depurantibus digeſtivis, addito pariter Mercurio tentare. Eadem curandi ratio obtinet in omnibus ulceribus venereis, ubicunque locorum

ſitis,

ſitis, quæ tamen ab aliis ulcerum ſpeciebus exacte diſtingui debent, præprimis ab *ulcere vere carioſo*, & ab *ulcere ſcorbutico*, cum hæc a minus expertis nonnunquam pro venereis habeantur, & vice verſa. Igitur deſcriptioni ulcerum venereorum ſuperius datæ ſubjungemus eam, quæ nobis ulcerum vere cancroſorum aut & ſcorbuticorum ideam ſuppeditabit.

Ulcera ergo cancroſa duplicis ſpeciei ſunt, vel enim habent labia retorrida, duraque & ſubjectas carnes depaſcuntur, totum ulcus, uti & margines prementi digito non cedunt, plerumque rotunda ſunt, profunde, rubra cum margine paulo pallidius rubente, & cute ſæpe non ſuppurante contecta.

Altera vero ſpecies ulcerum cancroſorum fungoſa eſt, excreſcens, luxurians, ad attactum non mollis, ſed dura, minus tamen quam prima ſpecies, margine notabili carent, Color profunde ruber, & ſcabrities, pus flavum, ichoroſum, ſanioſum, mollities marginum, ipſiusque ulceris, materia lardacea, albicans in illius medio hærens, vel & marginis albi, ulcera venerea ſatis diſtingunt a cancroſis. Ulcera vero ſcotbutica limbos habent liveſcentes, inſperſis punctulis albicantibus, mollesque ac fungoſi. In medio ulceris

ris caro luxurians colore hepatis vitulini eminet, quo inſperſo alumine uſto facile tollitur. Alia inſuper ſcorbuti ſigna facilem diagnoſin præbent. Si ulceri impuro cum ſubſtantia lardacea inſpergatur pauxillum mercurii dulcis, id facile depurabitur, ſi venereum fuerit; ſecus vero, ſi ad aliam ulcerum ſpeciem pertineat.

Quemadmodum glandulæ urethræ, teſtes, glandulæque inguinales inflammantur, ſic etiam ipſa glans, & quod illas cingit, præputium, totusque ſubinde penis vitium trahit, inflammaturque. Inde omnes inflammationis ſequelæ oriri poſſunt.

Prima tumorum iterum diviſio erit
1) in *inflammationem ſanguineam*,
2) in *lymphaticam*.

Unde tumor aut ſimpliciter *inflammatorius*, *aut œdematoſus œdemate calido*. Si præputium ante glandem inflammatum retrahi nequeat, *phymoſis* malum audit; ſi vero idem retractum inflammatur conſtringaturque, ſimulque glandem prominentem ſtrangulet, *paraphymoſis* appellant. Cum hæc inflammatio in gangrænam, itemque ſubinde in glandularum glandis & præputii ſcirrhos abire ſoleat, alia in medendo perutilis diſtinctio habetur,

in

in tumorem ſcilicet *gangrænoſum*, vel *ſcirrhoſum*.

Cura pro varia tumorum ſtatu varia eſt, quamdiu inflammatio, ſive ſanguinea, ſive lymphatica adfuerit, quam ex dolore, calore, febre, colore aut rubro, aut albeſcente nitidoque, & tumore cognoſcimus, methodus antiphlogiſtica adhiberi debet. Hinc venæ ſectiones, balnea penis tepida in lacte, injectiones emollientes &c, indicantur. In phymoſi danda opera eſt, ut materia inter glandem & præputium reſtitans eluatur, mediante ſyrynge; ſcarificationes penis, vel præputii inſignem & citam opem ferunt. Cavendum ſummopere a validis purgantibus, a repercutientibus topicis quia inflammatio adeſt. Secuta eſt gangræna aliquoties ab adhibita aqua calcis & aceto lythargirii; etſi id fomentum utile admodum ſit, ubi gangræna jam adeſt, aut ubi diſcuſſa phlogoſi partium laxitas ſupereſt, quo in caſu & cortex & camphora indicantur. In tumore ſcirrhoſo glandis aut præputii eadem valebunt, quæ in ſcirrhoſo teſticulo laudata ſunt. Interim ſemper addi mercurius debet.

Tubercula oriuntur a vaſis vel glandulis viru venereo obſtructis. Fiunt hæc vel ulcere venereo prægreſſo, vel etiam non prægres-

greſſo. Varia hisce tuberculis nomina indicta ſunt pro diverſa, quam referunt, figura aut magnitudine. Sic vocantur *phymata, chordæ, pori, verrucæ, condylomata, criſtæ, mora, fici* vel *maraſcæ.* Fiſſuræ in ſulcis ani ortæ & pus fundentes *Rhagades* appellantur. Loca his tuberculis obſideri ſolita, ſunt penis, vulva, anus, mammæ. Mala hæc ad ſcirrhum pertinent venereum, quæ tandem in peſſimum cancrum ſubinde abeunt.

Cura abſolvitur

1) vel ſolventibus internis externisque

2) exſtirpatione.

Rhagades curantur emollientibus, detergentibus, cicatrizantibus, additis ubique mercurialibus.

Lues venerea confirmata.

Luem veneream definitione carere, ſupra dictum eſt.

Diſtinctio luis confirmatæ petitur

1) a partibus peculiariter affectis,

2) vel a morbis cum illa complicatis.

Hinc habetur *hemicrania venerea, ophthalmia venerea, angina venerea, ſcrophulæ venereæ,* prout venenum has præ illis partes ma-

magis affectat, frequenter conjungitur cum ſcorbuto, phthiſi.

Sedes primaria, in quam virus hoc præcipue reſidere amat, eſt quæcunque glandularis pars, mucus, lympha, adeps.

Cauſſæ remotæ ſunt ea omnia, quæ materiam veneream corporis noſtri partibus tenuioribus quasve cuticula ſolum obtegit, affricat, unde reſorpta maſſæ humorum communicatur. Gonorrhœa retropreſſa, bubones absque mercurio curati, lactatio infantis infecti per nutricem non infectam, vel infantis non infecti per nutricem infectam.

Alia ſpecies luis confirmatæ poteſt vocari *aperta* alia *larvata.* Utraque eſt ſubinde vel *ſimpliciter talis*, vel ſolum *diſpoſitio venerea*, quam e. g. in plerisque infantibus aut rhachitide, aut tinea laborantibus obſervamus.

Signa & ſymptomata ejus in cumulum conjecta modo dabimus ut ea eo facilius in iis, quos proprii morbi natura latet, præcipue vero ut illa in nutricibus atque in infantibus detegi poſſit. Dein de lue venerea larvata, quæ ſub ſpecie aliorum morborum medico imponit, ac tandem de diſpoſitione ſolum venerea agemus. Sequentur methodi fere omnes

nes hucusque uſitatæ, quarum ſingulas examinabimus.

Symptomata ergo luis univerſum ſunt, bubones, teſtes venerei, ulcuscula per ſe absque coitu ſæpe redeuntia & diſparentia tubercula penis, ani, mammarum. Ulcera faucium nariumque lardaceam intus materiam continentia, aut cum margine albo, calloſo; raucedo, halitus fœtens, narium oſſa eroſa, collapſa. Ophthalmia pertinax, maculæ cutis latæ, rotundæ, ſiccæ, flaveſcentes, ſquammoſæ, purpureæ, herpeticæ, circa frontem vero præcipue; & radices pilorum, puſtulæ, defluvium capillorum. In volis manuum, plantis pedum, circa anum rhagades ſive fisſuræ, pus flavum, viride ſecernentes. Glandularum colli; ſubaxillarium, inguinalium, aliarumque tumores, quos ſcrophulas, bubones, nodos, ganglia, tophosque dicunt. In oſſibus tumores ſive exoſtoſes dolentes, duræ, molles, ſuppurantes, carioſæ. Capita oſſium tumida, oſſa fragilia, mollia, flexilia. Omnia oculorum, aurium, affecti cerebri, pulmonum, in fœminis mammarum, & uteri mala; vixque ullum cujuscunque morbi ſymptoma eſt, quod non ſubinde luem veneream comitatur.

Diagnoſis difficillime formatur, partim ob hanc ipſam numeroſam ſymptomatum va-

rietatem, partim vero ob male ſanam ægri diſſimulationem, vel ipſius ſubinde ignorantiam.

Signa diagnoſtica certa ſunt ſequentia:

1) Quando quis alios lue venerea manifeſte inficit.

2) Quando ulcera ſuperius deſcripta in locis illis oriuntur absque coitu novo, quas luem præprimis affectare diximus.

3) Deſcriptæ ſuperius cutaneæ maculæ, exoſtoſes absque fractura aut ictu externo, oſſium fragilitas & flexibilitas; reliqua ſigna admodum dubia ſunt.

Diagnoſis ergo ex collectione omnium fere, aut potiſſimorum ſymptomatum aliorumque ſignorum ſequenti ratione inſtitui debet.

1) Inquirendum, quibus moribus, conſortio & habitatione æger uſus fuerit antea.

2) Color faciei ex pallido flaveſcens, vireſcens, aut chloroticus, oculi cavi cum margine liveſcente tumenteque, macies, frequentes catarrhi, coryzæ, anginæ, vox per naſum formata, raucedo absque manifeſta cauſſa, difficilis deglutitio, ſputatio frequens, ſputum ichoroſum, anima fœtens; deglutitorum per nares rejectio, aut ſe deglutita cum tuſſi revomantur, ulcera faucium lardacea, ſerpentia, artuum difficilis motus, & defluvium

viuin

vium capillorum, in reliquo etiam corpore exiſtentium pilorum.

3) Somnus noctu paucus; dolores nocturni capitis, dorſi, artuum, præcipue tibiarum, qui per diem diſparent, noctu vero in lecto aut cubiculo calido valide affligunt, in loco autem frigido, lecto, dum mites admodum ſunt.

4) Tumor glandularum ſubaxillarium, parotidum, colli, inguinalium, exoſtoſes calvariæ, brachiorum, tibiarum, ulcuscula herpetica, humida, ſicca, ſquamoſa, in fronte & juxta radices capillorum in collo & pectore maculæ flavæ, roſeæ. Ulcera in quacunque parte ſerpentia cum ſubſtantia in medio caſeoſa aut lardacea. Fiſſuræ in volis manuum, plantis pedum & circa anum.

5) Circa pudenda & anum tubercula varias formas exhibentia, ſuperius deſcripta, item cancri venerei. &c.

Ex his ſimul collectis comparatisque diagnoſin ſæpe formare medicus poteſt. Notandum, eos, quibus per ſputa, aut etiam ex ulceribus multum puris effluit, a doloribus nocturnis aut omnia immunes eſſe, aut ſaltem mitius haberi. Difficilior adhuc diagnoſis non raro eſt in infantibus infectis. Suſpicionem movent aphthoſa, albicantia, lardacea ulcus-

cu-

cula in ore, præcipue in tonſillis, uvula, velo pendulo, ſaucibusque, quæ ſæpius diſparent & denuo redeunt. Ulcera ſcorbutica primo omnium gingivas afficiunt, item tinea pertinax. Halitus fœtens, ſcrophulæ, macies, inquies per noctem. Propagatio contagii ab infante in nutricem, cujus papillæ rubent, tument, efflorescunt, & ulcuscula remediis ſupra deſcriptis tentantur. Judicium medici magis firmabit cognitus parentum olim ex lue curatorum ſtatus.

Prognoſis melior eſt in malo recenti, ætate adulta, in fœmina, ſi modo menſtrua fluant, in ſtatu ſanguinis non inflammatorio, in hominibus cetera ſanis. Si partes corporis nobiliores minus affectæ ſint, ſi nulla interna cranii aut exoſtoſis aut caries, ſi pulmones tuberculi, & vomica, uterus & mammæ cancro, oſſium medulla putredine nondum affecta ſit.

Cura luis venereæ duplex eſt vel *cum* mercurio vel *ſine* mercurio. Qui ſine mercurio morbum hunc aggrediuntur, præſcribunt ea, quæ vi ſolvente, attenuante, ſudoriferaque gaudent, ut decoctum Muſitani vel Satellæ ex radice chinæ, ſalſaparilla, ligno guajaco, ſantalo rubro, antimonio crudo in pectio ligato. Decocto huic ſubinde aliquid la-

ctis

ctis addunt, prout ſcilicet res ægri poſtulaverit. Sunt qui decoctum bardanæ, taraxaci, cichorei, ſonchi, ſenecionis &c. adhibeant, cum regimine calido ſudoresque movente. Poloni ſeſe ad caput usque fimo imergunt per duos tresve ſeptimanas aſſumptis interea ſolis juſculis calidis. Alii in machina ſudatoria, alii in fornacem antea modice calefactum, item in cubiculo calefacto ſudores proliciunt. Methodus hæc *ſudorifera* dicta nequaquam ſatisfacit; nam primo etſi leviorem luis gradum, ubi venenum mobile adhuc eſt, & in ſanguine oberrat, item ubi ſolummodo in vaſculis cutaneis hæret, ſubinde forte curet, tamen de integra ſanitate plena ſecuritas non eſt. Plerumque malum ſolummodo palliatur, quod diu deliteſcens tandem ex improviſo denuo recrudeſcit. Hinc forte eſt, quod parentis hac methodo curati proles plerumque rhachiticos edant. Quamvis hæc cura inter natos americanos, ubi levior longe mitisque lues eſt, ſufficere poſſit. Fors poſt aliqua ſecula, cum progreſſu temporis benignior hic morbus videatur, ſecuriorem, quam modo opem in hisce decoctis poſteri reperient.

2) Corpora rara, & facile perſpirabilia minus quidem incommodi ſentiunt; verum denſa, ſtricta ſummopere læduntur. Virus ve-

venereum arctius impingitur. Macri exhauſtique magis adhuc debilitantur. Phlogiſtico ſanguinis ſtatu laborantes in graviſſimas & pernicioſas febres inflammatorias incidunt.

Alia methodus nuperrime inventa eſt luis curandæ per conium maculatum. Verum ſolvente & diaphoreſin movente vi ſolummodo agere videtur hocce medicamentum, ut adeo ad morbum venereum paulo magis radicatum vix ſufficere videatur; nihilominus ubi ſcrophulæ venereæ ſunt, id omnino heroicum erit medicamentum, ſi cum antidoto mercuriali junctum propinetur, cum cicuta ſolventiſſimum in tumoribus glandularum remedium ſcrophulis medeatur, mercurio interim virus venereum dominante. Præterea contingit nonnunquam ut perdomito licet fomite venereo indurationes glandularum tempore morbi eroſæ perſiſtant (Mercurius, etſi luem certo curet, non tamen ſemper alios morbos a lue ortos ſanat), hoc in caſu cicuta omnium erit indicatiſſima. Longa annorum plurimorum experientia medicos docuit, unicum certum & infallibilem auxilium in uſu merurii inveniri. Id virtute quadam ſpecifica operari ex multis videtur. Sæviſſimam arthritidem veneream non intra paucos ſolum dies, ſed intra aliquot tantummodo horas tollitur. Ulcera vene-

rea

rea cum vel ſine oſſium carie absque aliorum remediorum uſu, ſolus mercurius curat.

Jacobus Berengarius Carpenſis Bononiæ chirurgiæ profeſſor anno 1526 incepit contra herpetem veneream & efflorescentias cutis venereas unguento mercuriali uti, quo ipſum morbum principalem ſimul curari non obſervavit. Attamen jam ante Berengarium anno 1516. *Joannes de Vego* Pontificis Julii ſecundi chirurgus diſſertationem edidit de uſu unguenti mercurialis, quo ille ægros ſuos inungere ſolebat, luem veneream inter morbos mere cutaneos referret.

Uſus *mercurii* vel *externus* eſt, vel *internus*.

Externe adhibetur

1) per inunctionem &

2) per fumigationem.

Interne vero datur

1) *ipſe mercurius vivus* ſubactus per modum electuarii, pilularum &c. vel methodo Plenckiana.

Propinantur varia mercurii præparata, uti *panacea alba*, ſive *aquila alba* ab aliquibus dicta *panacea cinnabarina*, *mercurius dulcis*, *mercurius ſublimatus corroſivus* isque vel in pilulis, vel methodo Swieteniana. Verum quacunque ratione mercurius exhibeatur,

ſemper duplici modo id fieri poteſt, ſcilicet vel *cum ſalivatione*, vel *absque illa*. Methodus cum ſalivatione diu admodum uſitata merito a plerisque modernis abrogatur.

Nam. 1) multa ſecum incommoda conjuncta habet
2) periculoſa eſt admodum,
3) eſt inſufficiens,
4) non in omnibus ægrotis adhiberi poteſt,
5) lues venerea ſalivatione, tanquam criſi opus non habet,
6) hac methodo facile carere poſſumus.

Ad 1) ſic tumorem faucium, ulcera oris, febrim ſæpe validam, ſomni defectum ob continuum ſalivæ affluxum, dentium vacillationem, & ſæpe jacturam.

ad 2) Febris valida, diarrhœa vix ſiſtenda, dyſenteria, hœmoptoe. Maxillæ inferioris immobilitas linguæ antea exulceratæ ad gingivas adcretio.

ad 3) Poſt repetitas etiam ſalivationes malum recruduit aliquoties, uti per obſervationes conſtat. Nam mercurius ſat cito ex corpore per vias ſalivæ abit, antequam vim ſuam plenariam exercere in corpore poſſit.

ad 4) Gravidæ enim, infantes, debilitati ex quocunque morbo prægreſſo, laborantes

tes, pectore debili, epilepſiæ, convulſionibus, ſpasmis, hyſteriæ obnoxii; hyſtericæ, ſeniculi &c. & qui gravibus narium fauciumque ulceribus jam antea laborarunt, hanc certe evacuationem perferre non valent.

ad 5) Nam eadem ſalivatio iisdem ſtipata ſymptomatibus æque oritur in homine non venereo, ſi nimia mercurii quantitas ipſi propinetur.

ad 6) *Cl. Chicoyneau* Montpellienſis anno 1718. absque ſalivatione luem perfecte ſanavit. Ejus methodum a Cl. *Haguenot* correcta Galli modo utplurimum utuntur.

Umt ercurius feliciter adhibeatur ſequentia ſunt notanda, ſcilicet

1) Tantum mercurii ingerendum eſt, quantum requiritur ad enervandam penitus veneni vim.

2) Opera danda eſt, ut mercurius per omnia, etiam per minima vaſcula penetret.

3) Ut cum tota ſanguinis, reliquorumque humorum maſſa peniciſſime commiſceatur, idque non una ſolum vice, ſed frequenter.

4) Hinc mercurius aliquo tempore in corpore remanere debet. Igitur

5) ſi additis vel *purgantibus* vel *ſudoriferis*, vel *diureticis*, vel ſibi relictus, ſola

ſalivatione ex corpore abigatur, metus ſemper eſt, ne quid luis remaneat.

6) Facile ergo colligitur quid ſit ſtatuendum de methodo illorum, qui ſub uſu mercurii potus ſudoriferos aſſumant, aut addita camphora, aut adjecto kermete minerali mercurium ad ſuperficiem corporis abligant, eumque motis ſudoribus ex corpore eliminant.

Interim autem dantur morbi, ubi ſalivatio prodeſt, aut ubi mercurius cum medicamentis ſupra recenſitis exhibitus omnem paginam abſolvet.

7) In curanda lue attendendum ad morbos cum illa complicatos, aut ad prædominantem diſpoſitionem ægroti, cum medicamenta ab hiſce complicatis morbis aut diſpoſitione prædominante indicata mercurio jungi debent, antequam curæ ipſius initium debita corporis præparatio præmitti debet. Scilicet maſſa humorum attenuanda eſt, vaſa pervia reddenda ſunt, fibræque forte nimium tenſæ relaxandæ. Hinc venæ ſectio exordium faciat, dein ſequatur lene purgans. Potus ſit ex ſero lactis, vel hydrogala, decoctum hordei cum quarta aut quinta parte lactis, vel decoctum graminis, taraxaci, ſcorzoner, victus ſit vegetabilis, carnes paucæ, teneræque. Abſit vinum, omniaque ſpirituoſa. Die pro-

xi-

xima poſt aſſumptum purgans balneo tepido mane ac veſperi aut ſaltem ſemel per diem ægrotus inſideat, idque per 6 aut 8 dies continuet. Verum hujus præparationis modus potiſſima reliqua corporis conditione dependet; ſi æger ſit admodum debilis, ſi morbi ferocia, ulceraque aut oſſium caries citam opem poſtulent, per unum ſolummodo alterumve diem præparari corpus debet. Dein inunctio mercurialis ſtatim adhibeatur, ita tamen, ut ea cum uſu balneorum tepidorum alternet, donec vis morbi parumper repreſſa ſit. Impetratis hiſce morbi induciis, omiſſoque dein uſu unguenti mercurialis denuo conſueta corporis præparatio inchoanda abſolvendaque eſt, qua finita inunctiones denuo continuantur. Sub uſu mercurii æger abſtineat ab acidis, ſalitis, pinguibus, durioribus cibis, vino & ſpirituoſis. Conveniunt, vegetabilia & lacticinia, debilioribus vero etiam carnes teneræ, aſſæ. Potus ſupra deſcripta largius aſſumantur. Hiſce præmiſſis paretur unguentum ſequens:

R. Mercurii vivi depuratiſſimi unc. iij.
Therebinth. q. ſ. ut exactiſſime ſubigatur, dein ſenſim adde
Axungiæ porcin. unc. vj.
Miſce per aliquot terendo.

De

De hoc unguento omni quarto die dr. j. dr. jβ. aut dr. ij. inungatur, ita, ut initium ducatur ab artubus inferioribus, donec tandem poſtremæ inunctiones ad ipſa usque brachia perveniant, inunctione penes fornacem, aut carbones accenſos peracta, æger per horam unam alteram lectum petat. Quodſi tumor faucium, pruritus & dolor gingivarum ſequeretur, differri eousque inunctio deberet, donec hæc ſymptomata denuo evanescunt. Toto curationis tempore unciæ ſeptem, octo, novem unguenti mercurialis abſumuntur, id quod tamen pro diverſa mali vi, & ægri diſpoſitione variat. Quod ſi omiſſa licet inunctione nihilominus ſalivatio perſtaret, leni purgante mercurius ad inteſtina, aut balneo aquæ tepido ad corporis ſuperficiem determinari debet. Hac ratione pergendum eousque, donec omnia ſymptomata penitus evanuerint, interim tamen quemadmodum febris intermittens denuo redit, ſi uſus corticis poſt ultimum paroxysmum non adhuc aliquo ſaltem tempore continuetur, ita etiam virus venereum, ni paulo diutius protrahatur inunctio, etiamſi nulla amplius morbi phœnomena adpareant, denuo utplurimum recrudeſcit.

Pro cura confirmatoria aër campeſtris & ruſticatio & diæta bona, inque ſubjectis debilioribus cortex peruvianus ſuadentur. Ceterum in cura luis venereæ ſequentia adhuc notanda ſunt

1) In cura per inunctionem inſtituta perſpirationis habenda ratio, ne retropreſſa ad inteſtina ruat & diarrhœam excitet.

2) Numerus inunctionum varius eſt, aſcendit plerumque ad 30, etiam ad 40, 50 & ultra.

3) Nimiam poſt morbum virium jacturum præter ſuperius dicta reſtituunt lac aſininum, caprinum, humanum, aquæ ſpadanæ aut ſtœcknizenſes vel ſolæ vel cum lacte, vel & cortice peruviano, item limatura ferri.

4) Qui nimium debiles jam ante curam ſunt, balneis aquæ tepidis aut abſtinere debent, aut parce iis uti.

5) Venerei admodum exhauſti, quibus ipſa inunctio non ſatis tuto adhiberi potuit, curati ſunt lacte humano fœminæ robuſtæ, ſanæque cui unguentum mercuriale inunctum fuit. Hac ratione aut penitus percurantur, aut ſaltem eousque vires ſuas recuperant, ut inunctionem mercurialem facile perferant. Lac capræ unguento mercuriali illitæ ejusmodi

di ægros nimium debilitatos aliquoties curavit.

6) Hujusmodi ægri ſolis exhalationibus mercurialibus, ſi una cum aliis mercurio inunctis in uno cubiculo converſarentur, eo usque ſunt reſtituti, ut poſtmodum ipſam inunctionem perferre, & hac ratione curam abſolvere potuerint.

7) Inunctio mercurialis ideo præferenda videtur illi methodo, quæ mercurium dulcem aut panaceam mercurialem per os ſumendam propinat, quia, per inunctionem plus mercurii in corpus ingeritur, & ſecundo quia certior medicus eſt, quod medicamentum vaſa corporis penetrarit, cum cetera, quæcunque alia mercurii præparatio ob ſuam acrimoniam tanta quantitate aſſumi nequeat, aut asſumpta muco inteſtinali involvatur, neque ita certe corpus penetrat. Mercurius vivus omni prorſus acrimonia caret, nec ventriculo, aut inteſtinis, nec crudis adeo ulcerum carnibus ullo modo infeſtus accidit.

8) Inanis contra inunctionem mercurialem objectio eſt illorum, qui aſſerant, globulos mercuriales in cavitatibus oſſium fuiſſe repertos, Facile enim fieri poteſt, ut in hodierna hominis paulo antea inunctionem mercurialem paſſi ſublato per mortem humorum cir-

circulo, & ceſſante vi vitæ, reſiduus adhuc in corpore mercurius in morte & poſt eandem, vi propriæ gravitatis in loco quodam debiliori ſeſe in globulos denuo colligat; quod tamen durante in vita humorum motu nequaquam fieri poterat. Præterea contingere poteſt, ut inexpertus medendi magiſter plus mercurii & nimium properanter in corpus debile ingeret, unde ruptis tenerioribus vaſculis mercurius in globulos colligitur.

9) Sedulo attendendum eſt, an parciori mercurii doſi morbus auſcultet, id enim ſi ſit, cave a largiori ejusdem quantitate. Nam inde ſequitur vertigo, febris, artuum tremor &c. Hæc ſi acciderint, cura in eo verſari debet, ut ſuperflua mercurii quantitas, aut dato leni ſudorifero, aut purgante ex corpore abigatur. Si peracta curatione hæc incommoda a reſtitante nimia mercurii quantitate oriunda reconvaleſcentem affligant, præter roborantia ſuperius laudata vis quoque electrica commendatur, quæ excitato humorum majori motu, aucta diaphoreſi, fibris muſcularibus torpidioribus ſtimulatis, mercuriales reliquias expellit.

10) In malo graviori mercuriale unguentum paratur ex una parte axungiæ & dupla mercurii.

11) Si ægrotus medicamenta mercurialia ante inunctionem aſſumpſit, contingit, ut poſt primam ſtatim inunctionem ſalivatio oriatur. Juvat hoc noſſe, ne exiguæ huic unguenti mercurialis doſi hic effectus adſcribatur.

12) Multum diſputatur, utrum evacuatio aliqua tendanda ſit; verum plerique aſſerunt, quo longior mercurii in corpore mora ſit, eo ſecuriorem eſſe curationem; præterea plerique curantur absque manifeſta evacuatione. Multi in cura luis præparata chemica mercurii præferunt, verum ut videtur, non ſatis apte. Conſtat enim, quod mercurius ſolummodo qua mercurius juvat, ut adeo illi a chemica præparatione nil boni accedat, quin imo ob adjunctam acrimoniam parciſſime propinari debet, unde, plerumque debita ejusdem quantitas, quæ lui domendæ apta eſt, nequaquam ingeratur, & malum tantummodo palliatur. Præterea materies acris, & cauſtica mercurialis præparatione adhærens utplurimum ſumme noxia eſt, iis præcipue, qui debili pectore, ventriculo, & nervis delicatioribus præditi ſunt. Hæc eſt ratio, quare ea methodus, quæ mercurium ſublimatum ſive in pilulis, ſive in ſpiritu vini exhibet, minime probanda videatur.

Se-

Secunda hæc methodus, uti Cl. *Gmelin* refert, apud Tartaros ab immemorabili tempore uſitata fuit, quam dein Ill. *van Swieten* etiam nobis commendavit. Remedium hoc externe ad diſſolvendas tophos felicius adhibetur. Præterea methodus hæc tuſſiculoſis ſanguiſputis, inflammatis, hyſtericis, hypochondriacis minime convenit. Modus autem exhibendi ſequens eſt:

R. Mercurii ſublimati corroſiv. in pulv. trit. gr. xxiv.
Spiritus frument. libr. jv.

Digere ſubinde agitando, donec mercurius ſolutus fuerit. D. ad lagenam vitream. Sumat mane & veſperi unc. ß ſive cochlear. ordin. in vaſculo coffeano decocti, ſuperbibendo libr. j. decocti hordei cum quarta parte lactis, vel decocti lignorum cum lacte, vel decocti graminis, taraxaci, bardanæ &c. quotidie autem libræ vj vel viij. hujus decocti bibendæ ſunt.

Si tormina inde oriantur, copioſo potu diluente ſedantur. Omni quarto die purgans propinatur. Rariſſime oboritur exigua ſalivatio, quam etiam obortam purgans & magis adhuc balneum tepidum reprimit. Ulcera venerea antiqua filamentis ſpiritu hoc mercuriali humectatis conſolidantur. Idem ſpi-

ſpiritus prodeſt in ulcere cancroſo, attamen ſi nimium doleat, magis proderit unguentum mercuriale. Efflorescentiæ venereæ ſat cito profligantur, ſi ſpiritu hoc mercuriali aqua diluto laventur. Alii panaceam mercurialem ſive aquilam albam propinant; quotidie partitis doſibus octo aut decem grana exhibent. Alii præferunt mercurium dulcem ad gr. iij. aut jv. per diem, cum potu conveniente. Notandum eſt, easdem vix non objectiones contra hanc methodum, afferri poſſe, quæ mercurium ſublimatum reprobant; minorem quidem acrimoniam poſſident, hinc minora inde incommoda ſequi neceſſe eſt, verum cum tutiores methodi ſint, cum a ſolo mercurio nulla arte alterato ſalus ſperanda ſit, mirum certe videri debet, quod in ejusdem præparatis minus tutis, acribus, auxilium quæratur. Mercurius dulcis & panacea alba iisdem ſubjectis nocet, quibus mercurius ſublimatus corroſivus ejusque ſymptomata copioſo potu corrigi debent.

Multi hiſce duobus mercurii præparatis aut reſinam jalappæ aut kermetem mineralem, aut camphoram, aut etiam turpethum minerale jungunt, prout vel alvum vel ſudorem, vel ſalivam movere volunt; verum de hiſce ſub uſu mercurii evacuationibus ſupra quædam

dam diximus. Id obſervandum, ſi aut panacea aut mercurius dulcis propinatur, eum nunquam ſolum in pulvere, nec in mixtura exhiberi debere, ne quid in ore ac faucibus reſtitet, quod inflammare ac erodere eas partes poſſet. Dantur utraque hæc præparata in bolis, aut in pilulis, cum copioſo potu coindicato.

Alia methodus eſt eorum, qui fumo mercuriali morbum curant, uti in Moldavia & Wallachia ipſa plebs ruſticana facere ſolet. Inſperguntur cinnabarum prunis ardentibus, fumumque inde ortum ad corpus nudum ſolo pallio fumum cœrcente; circumdatum admittunt. Nunquam radicalis curatio obtinetur. Præterea cum mercurius vi caloris attenuetur, figuramque ſuam globuloſam deponat, ac hoc ipſo naturam cauſticitam acquirat, hinc graviſſima incommoda inde oriri neceſſe eſt. Solummodo juvat fumus mercurialis ſi ad partes calloſas, tophosque ope infundibuli admittatur.

Methodus Plenckiana conſiderari meretur; mercurium mucilagine gummi arabici ſubactum exhibet. Ejus præſcriptio eſt ſequens:

R.

R. Mercurii vivi depuratiſſimi dr. j. Gummi arabici dr. ij.

terantur in mortario lapideo addito medio cochleari aquæ fumariæ, donec mercurius penitus diſpareat in mucum. Exacte ſubactis admiſce ſenſim terendo,

Syrup. Kermeſin. unc. β.

Aquæ fumar. unc. viij.

M. D. U. Sumat æger mane & veſperi cochlear. ordinarium.

Hæc ratio curandi bona eſt; verum data mercurii quantitas pro qualibet doſi ſæpe non ſufficit; præterea fieri facile poteſt, ut aſſumptus per os mercurius non bene ſubactus in maſſam humorum non perveniat, ſed muco obvolutus in inteſtinis iners hæreat. Longum inſuper ad radicatam curationem tempus requiritur. Poteſt mercurius vivus etiam in forma pilulari præſcribi hac ratione:

R. Mercurii vivi depuratiſſimi unc. β. Gummi arab. dr. ij.

diu & bene terantur invicem ſenſim affundendo aqua puræ q. ſ. dein adde

Micæ panis aquæ irroratæ unc. j.

Denuo terendo probe commiſceantur in mortario lapideo & fiant pilulæ gr. iij. pulvere rad. liquirit. conſpergendæ. Sumat

mat bis terve per diem pilulas tres, quatuor, ſex, ſuperbibendo potum congruentem.

Valet hæc methodus ad leniendos dolores nocturnos, item in debilibus, exhauſtisque, præcipue ſi aut lac aut ejus ſerum, aut hydrogalam ſuperbibunt, eousque, donec ſufficientes pro inunctione inſtituenda vires rediverint. Ceterum in curanda lue tanquam *arcanum* hæc obſervatio ſit, ſcilicet ut morbis complicatis, e. g. diatheſi ſcrophuloſæ, colliquationi, phthiſi, atrophiæ &c. ſua quæque remedia opponantur, cum mercurius ſolam luem percurare valeat, nequaquam autem morbos ab illa oriundos, aut cum eadem complicatos. Præterea prædominans diſpoſitio ſuam quoque medelam exigit; venereum phlogiſtica diatheſi laborantem alia certe ratione ſanabimus, quam debilem, laxumque, & aquoſis humoribus præditum, etſi utrique ob eandem luem mercurius conveniat. Neglecta hæc obſervatio in cauſſa eſt, quare morbi venerei ſubinde incurabiles dicti ſint, cum ſola medelæ ſpes in mercurio male repoſita fuerit. Inde quoque colligitur, quare veteres diſputarint, utrum v. g. lac venereis conveniat, cum aliis prodeſſe, nocere autem aliis fuerit obſervatum.

Me-

Methodum fœminas gravidas, infantes venereas a lue curandi modo dabimus.

In gravida venerea eousque differendum auxilium non eſt, usque dum partum ediderit. Nam medelæ procraſtinatio id efficere poſſet, ut fœtus eodem morbo correptus interea pereat, aut mater periculoſum abortum patiatur, aut denique tumores ſcrophuloſi, ulcera, exoſtoſes, cariesque oriantur. Præferenda etiam in hoc caſu inunctio mercurialis eſt omnibus præparatis chemicis. Verum docta manu ea utique adminiſtrari debet. In præparando ad inunctionem corpore balnea omitti debent, aut ſaltem una ſolum alterave vice adhiberi, ne periculum abortus incurrat.

Infantes venerei curantur, ſi aut mater venerea, aut nutrix eadem labe infecta inunctionem mercurialem ſubeat. Hoc ſi obtineri nequeat, fœmina robuſta ſanaque mercede conduci debet, quæ unguento mercuriali inuncta prolem lactando curabit. Verumtamen magna quoque incommoda inde ſequuntur, ſcilicet papillæ nutricis infectæ dolere, tumere & rubere incipiunt, ut adeo excretio lactis, ſuctioque difficilis omnino ſit. Hoc in caſu ea primo lacte nutriendus infans eſt, ubi antea capra unguento mercuriali inuncta

fue-

fuerit, quod abſciſſis prius pilis eodem fere, uti in homine, modo peragitur. Fortunatas hac ratione curas a Cl. *D'Aumont*, & *Levret* peractas legimus. Puero non amplius lactanti aut nutricem aut capram unguento mercuriali inunctam eodem modo præſcribimus. Quodſi infectus decimum aut duodecimum ætatis annum jam attigerit, inunctio mercurialis debitis cum cautelis in ipſo adhiberi jam poteſt. Panaceam mercurialem aut mercurium dulcem in tenera hac ætate magis adhuc quam in adultis reprobandum exiſtimo.

Ceterum nota 1) recens nati & lactantes facilius curantur, quam ablactati.

2) Morbus venereus conatus gravior, quam poſtmodum acquiſitus.

3) Raro integre curatur hic morbus, quoniam æger, ut primum ſymptoma ceſſaverit, pariter a medicamentis abſtineat, hinc aut denuo poſt aliquod tempus repullulat, aut ſub ſpecie alterius morbi redit, vero herpetem producit venereum.

4) Frequens recidiva morbum reddit tandem vix curabilem.

5) Quo diutius curatio per decocta, aliaque ejusmodi palliantia tentatur, eo altius irradicatur.

6) Caries cranii venerea epilepſiam, graviſſimaque alia mala producit, oſſa narium abſumit, unde dein fulcro artificiali opus eſt.

7) Si ſcorbutus una adſit, mercurialia nocent, prius antiſcorbutica exhibenda ſunt, & mercurius ea ſolum doſi adjungi debet, quæ mali lenimen afferat, donec curato ſcorbuto cura antivenerea inſtitui poſſit.

8) Hypochondriaci, a lue quondam curati ſemper anxii eſſe ſolent de integra ſanitate, hinc ſi cura debita fuerit abſoluta, ſcrupuli, qui ipſos torquent, omnimodo iis eximendi ſunt.

9) Venerei aut ex lue venerea non bene curati, ſi in febres acutas incidant, plerumque pereunt.

10) Qui ulceribus cutaneis venereis vexantur, a dolore vehementiſſimo oſteocopo plerumque liberi ſunt. Hinc ſi loco non exulcerato, attamen ob venereum venenum graviſſime dolenti veſicans apponatur, dolor ſilebit, quamdiu locus veſicante tentatus ſuppurarit.

11) Si morbus venereus ſub ſpecie alterius morbi medico imponat, ſeum detegere poteſt ex multis aliis, ſed præcipue ex eo, quod morbus ad omnia reliqua, alias optima remedia, rebellis perſiſtat. Item ſi æger aſſum-

pto

pto medicamento martiali, e. g. aquis martialibus, pilulis martialibus pejus habeat, ſique præcipue dolores nocturni inde augeantur. Marte aſſumpto ſymptomata luis certiora ſeſe manifeſtant."

12) Quidquid remediorum arcanorum ab aliquibus contra luem deprædicatur, aut tacite mercurium continet, aut malum ſolummodo palliat.

13) Contra mercurium ſublimatum corroſivum id etiam pugnat, quod cum virus venereum potiſſimum in lympha & muco reſideat, acidum mercurio junctum lympham coagulet, & mucum inſpiſſet. Idem quoque incommodum oritur a ſpiritu frumenti.

14) Mercurium ſublimatum in pilulis propinari ſolitum jam ante 40 annos notum erat, vocabaturque *remedium turcicum*, cum apud turcos conſuetum fuerit.

15) Contingit ſubinde, ut unguentum neapolitanum ob adjunctam axungiam pruritum & puſtulas in parte inuncta excitet. Hoc ſi fiat, proderit ejusdem unguento admiſcere pauxillum butyri cacao, vel etiam unguenti de liquiritia. Pruritus aut puſtulæ a pinguedine rancida oriri ſolent. Notandum præterea, inunctionem fieri debere a parte ſuperiori verſus inferiorem, id eſt, ſecundum ſi-

tum pilorum. Juvat quoque locum prurientem ſæpius lacte tepido abluere.

16) Mercurius vivus, qui adhibetur, purus omnino eſſe debet, ſolet enim admiſto bismutho, in Hollandia, uti referunt, adulterari, unde major illi gravitas accedit, ſimul particulis arſenicalibus & plumbeis inquinatur. Hinc melius eſt, ſi præſcribatur mercurius ex cinnabari nativa redivivus.

MORBI MULIERUM.

Menſtrua.

Menſtrua circa annum decimum quartum ſerius citiusque incipiunt, & circa XLVIII ut plurimum ceſſant. Id tamen variat pro varia temperie, & regione. Fluxus hic in gravidis non adeſt, niſi per primos duos aut tres graviditatis menſes. Lactantes niſi laute admodum vivant, & plethoricæ ſint, pariter non menſtruant. Sanguis hic menſtruus per ultima vaſa arterioſa uteri, nonnunquam etiam vaginæ prodit. Quantitas menſtrui ſanguinis variat, a plurimis ad ſemilibram æſtimatur.

Omnium primo conſideranda venit, *menſtrui* hujus *fluxus ſuppreſſio*, quæ diverſiſſimis ſæ-

ſæpe cauſſis debetur. Hæc autem inter vitia topica, pertinet *atreſia*, ſc. imperforatio. Contingit, ut hymen totam occludat vaginam, aut etiam, ut peculiaris membrana exitum ſanguinis prohibeat. Vagina exulcerata, inflammata concreſcere poteſt. Tumores varii eandem penitus obſtruere poſſunt.

2) Vitium uteri ipſius, ſcilicet ejus aut abſentia, aut præternaturalis parvitas. Sicut enim infantes naſcuntur non tantum podice impervio, ſed etiam cum defectu ipſius inteſtini recti aut plenario, aut ſaltem ex parte, ita inventæ mulieres ſunt vagina inſtructæ, ſed ipſo utero carentes. *Morgagni* invenit in fœmina, quæ etſi nunquam menſtruaret, ſaniſſima tamen, uterum præternaturaliter parvum, & ſuo officio omnino imparem. Item uteri *ſuperficies cicatriſata*, quod fit, ſi e. g. ſecundinis violenter extractis, uterus vulneretur, & demum imperſpirabili cicatrice ſanatur. Uterus ſcirrhoſus, cartilagines; fibrarum uterinarum nimia rigiditas, ut puellis ruſticanis, & fœminis laborioſis frequenter accidit.

Menſtrua ſupprimit item vitium directe oppoſitum, fibrarum videlicet uteri laxitas, ſanguinem promovere non valentium. Obſtructio vaſorum mucoſa. Uteri nimia pletho-

thora, ubi a turgentibus vaſis majoribus minima vaſcula comprimuntur. Ad vitia univerſalia pertinet vitium humorum, ſcilicet *kenangea* ob prægreſſas evacuationes, morbos exacerbatos, inediam, lactationem. Humorum nimia quantitas, ſive *plethora* totius corporis, qua præſente circulus ſanguinis ſuffocatur menſesque ſupprimuntur. Humorum prava indoles[f], ſcilicet *phlogiſtica diatheſis*, & inflammatorius humorum lentor, quod vitium in robuſtis ruſticanis puellis frequenter obtinet. Item *mucoſa humorum qualitas, diſpoſitio hydropica*, *chlorotica*, *humorum raptus ad ſuperior nimius*, item alia vicaria evacuatio menſium per hæmorrhoides menſtruas, vomitum, menſtruum, ſputum ſanguinis menſtruum, hæmorrhagiam narium aut cujusque alterius partis menſtruum. Vitia ſolidorum totius corporis menſtruum fluxum ſupprimentia ſunt nimia totius corporis fibrarum rigiditas, & habitus ad virilem habitum accedens.

2) Nimia laxitas fibrarum, quæ cum ſtatu humorum mucoſorum aut aquoſorum conjuncta eſſe ſolet. Nimia irritabilitas ſyſtematis nervoſi, inde fit, ut facillime & ex leviſſima cauſſa menſtrua turbentur.

Symptomata ante vel ſub ipſo fluxu in multis nulla deprehenduntur, quæ moleſtiam in-

inferunt. Quibusdam tamen ſequentia accidunt. Dolor & æſtus lumborum & coxæ, pulſatio arteriarum, cephalalgia, ſitis, febricula, inappetentia, laſſitudo, urina flammea, dolores colici, cardialgia, palpitatio cordis, flatus, nauſea, vomitus, Reſpiratio difficilis, vertigo. Quædam ante & poſt menſtruum fluxum fluorem album per aliquot dies experiuntur, mammæ turgent.

Ex his omnibus apparet, quam diverſa curatio eſſe debeat, nullaque dari medicamenta, quæ univerſaliter emmenagoga appellari poſſint. Sic *atreſia* & coaleſcentia vaginæ tollitur manu chirurgica. Si mulierem videris nunquam menſtruantem, attamen perfecte, ſanam, ſed improlem, prudens ſuſpicio erit de præternaturali uteri parvitate, aut etiam defectu, niſi eadem mulier habitum virgineum habeat. Uteri ſuperficiem cicatriſatam oportet balneis & fotibus emollire, quibus fors obtinetur, ut vicina vaſcula occluſorum vices ſubeant; nocent hic ſic dicta emenagoga. Fibrarum uterinarum nimiam rigiditatem tollit ſemicupium, clysma uterinum emolliens, laxitatem vero medicamenta interna roborantia, rheum exiguis & frequentibus doſis datum, aquæ ſpadanæ, ſtœcknicenſes, eædem valebunt pariter in obſtructione vaſorum muco-

ſa.

ſa. Uteri plethoram venæ ſectio in brachio tollit. In cenangeia ſummopere nocent emmenagoga; nutrientia & leniter adſtringentia, roborantia, exercitium & copiam ſanguinis ſufficientem & menſium ejus fluxum reſtituant. *Plethoram*, venæ ſectio in brachio, diatheſin autem inflammatoriam & venæ ſectio & balnea tepida, & potus antiphlogiſtici curant.

De chloroſi peculiariter agemus. Hac autem curata fluxus menſtruus ſponte redit. Humorum raptum ad caput, venæ ſectio pedis & pediluvia componunt.

Evacuationes menſtruas per loca inſueta e. g. ſanguinis ſputum, vomitum, hæmorrhoides ſiſtere periculoſum eſt, niſi prius emollitis diſpoſitisque uteri vaſis via aperiatur, juvabit tunc præternaturali huic evacuationi ſumma adhibita cautela remedio topico obicem ponere. Sic fumus roborans ad pulmones; medicamentum adſtringens ad vaſa ventriculi & externe ad hæmorrhoides applicari caute poſſunt.

Chloroſis.

Chloroſis, ſive morbus pallidus virginum definitione caret; hinc hujus morbi idea ex ſe-

ſequentium ſymptomatum collectione formanda eſt; ſcilicet adeſt vertigo, ſomnolentia ferme continua, ſomnus profundus. Hypopia mane poſt ſomnum turgida, facies pallida, & cum pallore vireſcens, labia, gingivæ & canthi oculorum pariter pallent. Reſpiratio ſi quiete ſedeant, bona, ſed ſi modice ſe moveant, ſuffocans, cum palpitatione cordis, nauſea, cardialgia, ſubinde vomitus pituitoſus, inappetentia, vel vero appetitus depravatus, quando ſcilicet cretam, calcem, carbones, ſalem marinum, ſericum &c. appetunt, & avide ingerunt, laſſitudo continua; pedum tumor circa malleolos; dolores crurum, pulſus celer, ſubinde plenus, ſæpe debilis & mollis. Triſtitia, menſtruo nulla, parca, aquoſa, aut vix tincta, fluor albus; ſubinde tamen menſtrua multum retardant, ſubinde valde anticipant, ſubinde copioſe prodeunt.

Cauſſæ morbi remotiores ſunt vita ſedentaria, potus copioſi theati, ſomnus multus, victus humidus, habitatio humida. Inde naſcitur cacochymia aquoſa aut mucoſa, in ſolidis vero laxitas, quæ cauſſam morbi proximam conſtituunt.

Alia ſpecies chloroſeos datur priori fere oppoſita, ſi ſcilicet puella præcipue ruſtica-

cana aut durioribus aſſueta, laboribus, antea robuſta, plethorica, regularibus gaudens menſtruis, menſium modo ſuppreſſionem patiatur quacunque ex cauſſa. Sanguis hic reſtitans plethoram primo, dein cacochymiam, degenerante ſcilicet in pravorum humorum ſanguine producat cum calore febrili, & diſpoſitione inflammatoria. Cauſſæ menſtrui fluxus ſuppreſſi in hiſce ſubjectis ſunt e. g. potus frigidi ſub ipſo fluxu menſtruo aſſumpti, crurum pedumque perfrigeratio, terror incuſſus, & quæcunque alia animi nimia pathemata, item potus aut cibi aromatici calefacientes, nimium corporis exercitium, nimiæ vigiliæ &c. Ingens diſcrimen inter utramque hanc chloroſeos ſpeciem; diverſam medendi methodum exigit. Prior ſpecies ad *morbos frigidos* pertinet; poſterior vero *ad calidos, febriles, inflammatorios.*

Cura in prima ſpecie ſit

1) removendo cauſas morbi remotiores,

2) abſtinentia ab aquoſis tepidis, pinguibus, farinoſis, acidis,

3) potus ſit ex aqua chalibeata, aut infuſo leniſſime aromatico frigido aſſumendo,

4) abſint calida, acria, aromatica valida, graves enim inde noxæ oriuntur intempe-

pcſto humorum aquoſorum aut pituitoſorum excitato orgasmo.

5) Purgantia fortiora, ſalina, diluentia, juſcula, venæ ſectiones, balnea abſint.

In leviori morbo ſufficit uſus limaturæ martis, quæ chalibi præferenda eſt, doſis in junioribus & in minori mali gradu per diem diverſam aſſumenda eſt gr. xv. xx. xxx. In morbo vero graviori, ætate majori ad dr. ij. dietim porrigi limatura poteſt. Proderit aliqua amaricantia aut moderata aromata ei adjungere. Si primæ viæ admodum gravatæ ſint cruditatibus, ſi morbus invaluerit, curæ initium faciendum eſt a purgationibus & frequenter repetitis, ex claſſe roborantium deſumptis, huc faciunt pulveres ex rheo & myrrhæ pauxillo, additis aliquot guttulis olei menthæ. Dein frictiones aromaticæ crurum, abdominis, & ſpinæ dorſi accedant, & demum ſubjungitur uſus limaturæ ferri, cum cortice peruviano, wianterano, marrubio albo, artemiſia, ariſtolochia rotunda, ſemine cardamomi minoris, croco, roob juniperi, electuario diateſſeron, hiera picra &c. unde pulveres, pilulæ, vina medicata, & electuaria formari poſſunt.

Secunda ſpecies chloroſeos, quam febrilem & calidam appellavimus, curatur venæ ſe-

ſectione, balneis crurum tepidis, ſemicupiis, ſero lactis tamarindinato, cremore tartari, diæta emolliente, refrigerante. Juvat hoc loco quædam de uſu ferri commemorare. Antiquiores medici *Dioſcorides* & *Celſus* in dyſenteria & infarctu lienis laudant vinum, aquam, in qua ferrum fuit extinctum. *Hippocrates* de ferro prorſus tacet. *Galenus* aquæ fabrorum ferrariorum meminit. Internus autem ipſius ferri uſus veteribus formidabilis videbatur, uti ex *Avicennæ* conſilio patet, qui poſt deglutitum ferrum aliquid magnetis aſſumendum ſuaſit. Primus, qui notante *Freindio* ferrum, & liquorem ei infuſum uſui interno dicavit, fuit *Alexander Trallianus*; id ſcirrho lienis conducere aſſeritur. Neglectum poſtea remedium denuo non ad grana ſolum aliquot ſed ad ſcrupulos duos, imo & totidem drachmas pro doſi exhibebatur, uti ex *Sennerto* conſtat. Circa finem ſuperioris ſeculi *Sydenhamus* ad grana viij. & ſcrup. β. exhibuit. Vis ferri medicata conſiſtit in parte ejus ſulphurea aut inflammabili, quæ una cum teneriori terreſtri pro varia menſura ex ferro elicitur, & quidquid hæc vis agit, id una corroborantiore, fibrarumque adſtrictione facit. Limatura ſimplici, tinctura martis cum ſucco pomorum inſtructus medicus facile omnibus præ-

pa-

paratis chemicis martialibus carebit. Prodeſt uſus ferri in genere, ubi fibra laxa eſt, pulſus languet, calor naturalis deficit, liquida aquoſa nimis, aut lenta fuerint. Obeſt autem, ubi vaſa ſunt fortia, elaſtica, rigida, ubi pulſus fortis & celer; ubi calore & æſtu corpus laborat, ubi bonus & compactus & copioſius ſanguis eſt. Curabit igitur obſtructiones viſcerum a lentore inerti adhuc ſolubili per fibrarum laxitatem productas, pejores vero illas obſtructiones reddet, quæ rigiditati fibrarum, ſanguini inflammatorio, concretis variis, & humoribus vix amplius disſolvendis, concretionibus calculoſis, ſcirrhis, ſtrumis debentur. Nocet præterea bilioſis, nidoroſa cruditate laborantibus, ulceratis, cancroſis, victu alcaleſcente utentibus. Prodeſt itidem ſi in acido primarum viarum propinetur ſolum & per ſe, aut extra hunc caſum cum acido, aut ſucco quocunque vegetabili junctum exhibeatur. Fœces nigræ ſoluti ferri indicium ſunt.

Nimia menſtrua.

De nimia menſium profuſione jam diſſerimus, ubi de hæmorrhagiis, atque in ſpecie de uteri hæmorrhagia actum eſt.

Id

Id ſolum noto, fœminas quasdam admodum debiles, laxas, chloroticas, quæ nimio menſium ſed multum anticipantium fluxu laborant, has ſuhinde imperiti medendi magiſtri venæ ſectionibus, tanquam plethoricas tractant, atque vires reſiduas adhuc hac curandi ratione penitus dejiciunt, ubi e contrario roborantia omni modo indicantur.

Fluor albus.

Fluor albus eſt excretio materiæ albæ, ſubrubræ, viridis, nunc mitis, nunc acer ab utero & vagina.

Cauſæ ſunt:

1) *Coctio ventriculi læſa*, & vires primarum viarum dejectæ, unde generatur ſanguis mucoſus, aquoſus, acer, robur ſolidorum infringitur. Huc revocatur etiam chloroſis, quæ fere ſemper fluore albo ſtipatur. Nocent in hoc morbo a dicta cauſſa oriundo potus theati, pinguia, oleoſa, lacticinia, fructus horæi, balnea tepida; proſunt exiguæ & ſæpius repetitæ purgationes, ex rheo & mirobalanis, amara roborantia omnis generis, diæta ſicca, corporis exercitium.

2) *Debilitas topica uteri* ſæpe immedicabilem leucorrhœam producit. Si uterus re-

pe-

petitis graviditatibus, partubusque debilitetur, aut ſi copioſior ſanguis menſtruus ad illum ruat, fluorem album oriri ſæpe numero videmus. Præterea fœminæ illæ ſuas proles non lactant, copioſiora lochia fluunt, crudaque lactis materies per uterum diutiſſima abit; hinc vaſa uterina dilatari, debilitarique neceſſe eſt. Hæc etiam una ex rationibus, quare inter fœminas ruſticantes, pauperioresque adeo rarus hic morbus ſit.

Profunt aquæ ferratæ, exiguæ & frequenter repetitæ purgationes. Fonticuli vices tandem debit. Hæc ſpecies fluoris, ſi paulo diutius duravit, rariſſime curatur.

3) *Cacochymia hæreditaria.* Si puellæ debiles cacochymicæ a cacochymicis parentibus natæ, tertio quatuo ve j am ætatis anno fluorem album patiuntur. Vidimus puellam annorum quatuor, quæ ſubſiſtente per ſe fluore albo, quo antea laboravit, in atrociſſimos capitis dolores, & ſubinde in convulſiones incidit. Si hic fluor absque manifeſta cauſſa ceſſet aut minuatur, ægrotæ patiuntur dolores colicos capitisque, tuſſim, fœdos calores, laſſitudinem maximam, & triſtitiam ſummam. Curantur, ſi cacochymia corrigatur, & ſenſim per purgantia mannata ac rhabarbarina,

per

per ſerum lactis tamarindinatum evehatur, ac tandem corpus roboretur.

4) Catarrhus uteri, ſive uteri ſuperficies leviſſime inflammata, uti in coryza membrana narium Schneideriana ſolet, aut pulmones in catarrho, ſic etiam uterus a colluvie ſeroſa, & ſuperficiariam inflammationem producente afficitur. Frequens admodum hæc cauſſa eſt. Senſus caloris, ponderisque in abdomine, illibata ceteroquin reliqui totius corporis ſanitate, hunc morbum comitatur. Prodeſt venæ ſectio, balneum tepidum, ſolventia, lac aſininum. Nocent e contrario aromatica, adſtringentia. Uti ex idea defluxionum ad nares, fauces vel pulmones patet.

Cauſſæ ergo proximæ ſunt; colluvies aquoſa, ſeroſa, mucoſa.

2) Uteri laxitas.

Mali ſedes eſt in glandulis, mucoſis lacunis, & arteriis ultimis uteri ac vaginæ.

Diſtinguitur a menſtruis de coloribus, cum hæc periodice redeant; a gonorrhœa muliebri difficilius diſtinguitur, attamen ſupra notas quasdam diſtinctivas recenſuimus.

Diagnoſis: fluore albo laborantes aut non concipiunt, aut abortiuntur, aut debiles & cacochymicas proles generant; præterea chronicus ejusmodi fluor imedicabilis eſt. Facil-

cillime curatur ille ſymptomaticus fluor albus, qui chloroſin comitatur.

Symptomata ſunt laſſitudo continua, melancholia, coloris fœdi, cardialgia, nauſea, dolor lumborum, macies, febris hectica, anaſarca, exulcerationes pudendorum.

In cura adhuc notandum

1) eam methodum ſcilicet, quæ cauſſam mali non corrigit, ſed ſolum adſtringentibus morbum aggreditur, periculoſam admodum eſſe.

2) Pravam eſſe illam methodum, quæ externis injectionibus ſcilicet adſtringentibus utitur, neglecta cauſſæ cognitionem.

3) Raro curari hunc morbum absque revulſione ad inteſtina facta per repetitas leves atque rhabarbarinas purgationes.

4) In rebus ſubinde deſperatis aquæ minerales tam epotæ, quam in balneum adhibitæ profuere.

Gravidarum morbi.

Morbi gravidarum dividuntur in eos,

1) qui ſtatim a conceptione accidunt,

2) in eos, qui utero in tumorem jam ſub creſcente, &

3) in eos, qui circa ultimum graviditatis tempus afficiunt.

Morbi qui ſtatim poſt conceptionem ſeſe manifeſtant, ſunt varia ſymptomata hyſterica, quæ inter præcipue ſunt nauſea, vomituritio, vomitus, animi deliquium. Oriuntur hæ affectiones ab inordinato liquidi nervoſi motu, ab inexplicabili mutatione uteri, nervoſum ſyſtema afficiente. In tali nauſea ac vomitione vere hyſterica a ſolo motuum vitio pendente, pulchre ſeſe opium gerit, pauca doſi cum pauxillo aquæ cinnamomi, vini rhenani, vel ſyrupo limoniorum deglutitum, vel paucæ laudani liquidi Sydenhami guttulæ cum liquore anodyno, vel ſpiritu nitri dulci propinatæ, quale remedium exempla ſæpiſſime comprobant. In hac nauſeæ, vomitionum ſpecie, quæ a *Joungio* recte cum vomitu navigantium comparatur, conveniunt etiam lenia aromatica, ſtomachica, e. g. mentha, ejusque præparata, nux moſchata &c. juvat inſuper ſcuta ſtomachica adplicare. Iisdem remediis anxietates, levia animi deliquia, odontalgia, vertigines, appetitus depravatus & quæque alia hyſterica ſymptomata primis graviditatis diebus ac ſeptimanis curantur. Morbi, qui utero jam ſeſe expandente oriuntur plerumque plethoræ, ac humorum orgasmo, ob men-

menſtrua retenta & uterum prementem debentur, ſuntque nauſea, vomitus, ſcilicet, dolor capitis, dyſpnœa; tumor dolorque mammarum, hæmorrhagia uteri & narium. Hiſce morbis medentur venæ ſectiones, blanda acida, ſuccus citri, ſpiritus acidi dulcificati, tincturæ vitriolicæ, quæ condenſando fluida, calorem, orgasmum ac rarefactionem inhibendo agunt, neutiquam vero conveniunt modo opiata aut aromatica. Quodſi tamen vomitus, qui modo a plethora & ſanguinis orgasmo provenit & cui venæ ſectio & diæta refrigerans convenit, his adhibitis non ſedatur, tandem erit ad opiata confugiendum. Hoc enim in caſu ſpasmi hyſterici plethoræ complicati ſunt, ut ideo dupla medela requiratur. Ad morbos, qui ultimis graviditatis menſibus infeſti ſunt, pertinent pariter vomitus, œdema pedum; labia pudendi œdematoſa, crura varicoſa, hæmorrhoides, ſpirandi difficultas, alvus pertinax; urinæ ſuppreſſio. Symptomata hæc non jam a plethora oriri ſolent, cum fœtus grandior jam factus plus nutrimenti depoſcat, atque adeo parum ſuperflui ſanguinis relinquat; potior ergo harum affectionum cauſſa eſt uterus valde diſtentus, & undique premens. Sic vomitus excitatur ex eo, quod uterus aſſurgens ventriculum ſur-

ſum urgeat, ejusque fibras motrices hac ratione ad contractionem ſollicitet, juvabit tunc ſola moderatiſſima diæta. Opiata aut aromatica male hic adplicantur. Reliqua ſymptomata ſuis quæque remediis pallientur.

Abortus.

Abortus peculiarem tractationem meretur, licet is quocunque tempore fieri poſſit, tamen ſi a ſecundo menſe ad ſeptimum usque contingat, proprie *abortus* vocatur. Menſe ſeptimo & conſequentibus partus immaturus audit.

Eſt autem abortus excluſio fœtus immatura. Plerique abortus fiunt ſine cauſſa violenta externa, quando menſtrua tertia vice evenire debuiſſent, ſi nulla adfuiſſet graviditas. Cauſſa tunc ſola eſt uteri plethora, quæ in incrementum parvuli fœtus nondum abſumitur, quæve ideo vaſa, quibus chorii ſuperficies ad uterum ligatur, nimium replet, diducit & dehiſcere facit. Cauſſæ aliæ ſunt præexiſtens laxitas in fibris uterinis quacunque ratione inducta, vel frequentibus partubus, diuturno fluxu lochiorum, menſtruorum, fluore albo. Fabrica tenera laxaque totius corporis cum generis nervoſi mobilita-

ta-

tate ac ſenſibilitate. Uterus inflammatus, ulceratus, vulneratus, convulſus. Morbi partium utero vicinarum, veſicæ præprimis & inteſtini recti, iisque præcipue, qui validos dolores ſibi junctos habent, & uterum ob locorum vicinitatem in conſenſum trahunt. Sanguinis nimia copia ad uterum determinata medicamentis emenagogis, diureticis, ſaltu aut alio immodico exercitio. Fœtus in utero mortuus. Dolores colici graves, dyſenteria, diuturna & exhauriens diarrhœa aut ſponte enata aut catarrhis inducta. Vomitus. Tuſſis valida, frequens & valida ſternutatio, contuſio aut lapſus proclivis, ſubita brachiorum elevatio. Ira & terror præcipue.

Cauſſa ergo proxima, eſt muſculorum abdominalium ac uteri convulſio ab irritatione prægreſſa.

Symptomata ſunt: hæmorrhagia uterina, primo lentior dein copioſior ob avulſionem placentæ particularem vel totalem ab utero, dolores lumborum & abdominis ad pubem tendentes, ſub quibus per intervalla gravius redeuntibus fœtus excluditur.

In cura duplex ægrotæ ſtatus bene diſtingui a medico debet, ſcilicet utrum avulſio placentæ *facta jam ſit*, vel utrum ſolummodo *inſtet*. Quodſi cruor floridus magna copia,

pia, intra breve tempus, ſub intenſiſſimis doloribus prorumpat, & grumos adeo ſecum vehat, orificium uteri exploratum deprehendatur laxum, certiſſime ſcimus, placentam ab utero receſſiſſe abortumque eſſe inevitabilem. Quodſi placentæ nova cum utero connexio extra omnem artis potentiam locata eſt, juvat tunc potius miſſam facere omnem inanem operam declinandi abortus, & quantocius manu fœtus excluſionem promovere, nullis etiam doloribus præſentibus, qui viribus cum ſanguine exhauſtis fatiſcunt & ceſſant. Qua de re conſulendus *Mauriceau* aliique. Nil vero in hiſce caſibus damnoſius, quam ſi una cum adſtringentibus, pro minuenda hæmorrhagia forte præſcriptis, opiata porrigerentur, quidquid ab auctoribus bene multis alias dicatur; quoniam nullam hæmorrhagiam directe ſiſtunt, ſed potius augent. Longe vero aliter ſe res habent, isque ſecundus ſtatus eſt, quando ſcilicet in gravida quocunque geſtationis tempore dolores in lumbis aut oſſe ſacro verſus pubem vergentes cum extremorum frigore torminibusque ventris veri conatus ad abortiendum adſunt, nullo adhuc ſanguine ſeſe manifeſtante; aut quando fluxus ſanguinis parcus eſt & placidus, ex vaginæ vaſculis ſaltem prorumpens, orificio uteri exacte adhuc clauſo.

Hic

Hic certe, antequam ſpasmorum vi & ſanguinis affluxu communio inter placentam & uterum ſolvatur, & tum inevitabilis abortus reddatur, poſt quietem ſummam injunctam poſt adminiſtratam venæ ſectionem, qua hæmorrhagia abortus prodromus nondum præſens ſæpe præoccupatur, aut ſi jam eruperit, ſæpe feliciter & mature adhuc ſiſtitur, ea quæ motus anomalos efficaciter coercent, & inter ea, opiata præcipue, ſummi uſus eſſe deprehenduntur. Attamen ſoli opio, in plethoricis præcipue fœminis, neutiquam confidendum eſt, ſine venæ ſectione præmiſſa, utpote quod vim vitæ augendo & ſanguinem rarefaciendo magis noceret, quam vi ſua ſpasmos ſopiente. Dantur tamen caſus, ubi venæ ſectio vix juvat, quin & nocere poteſt, ſolisque veris antihyſtericis, & antiſpasmodicis, inter quæ opium primas tenet, abortus periculum egregie depellitur. Ibi ſcilicet, ubi ſola morborum anomalia in fœminis mobilioribus & hyſtericis, leviſſima ex cauſſa inducta adeſt, item ubi gravis animi affectio abortum minatur, præcipue ubi terror gravidam perculſit, venæ ſectio minus tuta perſæpe eſt; juvant magis blanda & mitiſſima cardiaca, quorum princeps opium eſt. At vero in gravidis ira commotis indeque in pericu-

lum

lum abortus incidentibus, venæ ſectio omitti non poteſt, qua præmiſſa opiatum remedium excitatas turbas facile & tuto componet. Quibus poſt tertium menſem abortus iminet, iis methodus refrigerans circa terminum tertii menſis & venæ ſectio periculum avertit. Prædiſpoſitio autem uteri abſoluto partu ante novam impraegnationem roborantium & præcipue corticis peruviani ac martialium diuturno uſu tollenda eſt.

Inter morbos, qui gravidis æque ac aliis quibuscunque hominibus accidunt, attamen in gravidis peculiarem attentionem merentur: eſt *diarrhœa* ac *dyſenteria*. *Hyppocrates* ait, mulieri in utero gerenti, ſi alvus multum fluxerit, periculum eſt, ne abortiat. Diarrhœa a diætæ peccatis orta ſibi aliquantisper permittenda eſt, neque præpoſtere inhibi debet. Verum ubi gravidæ alvus multum & diu fluxerit, atque ejecta gravante ſaburra laudabiles etiam humores emungantur, digeſtio lædatur, & lienteria ſuccedat, metus eſt, ne & fœtus nutritione deſtituatur, & mortuus ante tempus excludatur. Tormina cum alvi fluxu complicata, itemque & multo quidem magis tenesmus gravidæ ſuperveniens abortire facit.

Cu-

Curatio in diarrhœis a vitio diætetico ortis, & tormina ſecum habentibus abſolvitur per rheum & clysmata oleoſa, item per opiata his præmiſſis mature exhibita. In tenesmo & dyſenteria juvant clysmata ex ſemine lini in lacte cocto, adjecto ovi vitello & oleo. Item emulſio amygdalina cum vitello ovi, interpoſito ſingulis quatuor horis uſu Laudani liquidi Sydenhami.

Gravidarum tuſſis pariter conſideranda eſt, cum hæc ſæpe ſopiri debeat, antequam violenta totius corporis concuſſione ab ortui occaſionem præbeat. Cauſſæ posſunt eſſe eædem, quas in tractatione de tuſſi attulimus, nihilominus in gravidis frequenter a ſanguine plethorico cellulas bronchiales irritante producitur. Princeps ergo in hujusmodi caſu remedium eſt venæ ſectio & demum mannatum pharmacum humores a pectore revellens & vellicantem acrimoniam demulcens. His ſi tuſſis cedere detrectet, ſique remediis oleoſis & emulſionibus non auſcultat, nil ſupereſt, præter opium. Interim tamen obſervatur, tuſſis in gravidis, ſtatim a conceptione per totum graviditatis tempus, quæ nulli omnino remedio, nec ipſi adeo opio cedit. Accuſanda tunc eſt individua-

dualis nervorum uteri cum diaphragmaticis conſenſus.

Morbi parturientium & puerperarum.

Parturientibus moleſtiſſimi ſæpe accidunt dolores, partus *ſpurii*; conſiſtunt autem hi in doloribus abdominis non ad inguina, ſed potius ſurſum tendentibus & orificium uteri fortiter conſtringentibus, qui vires parturientis atterunt, inflammationibus viam ſternunt, partumque clauſo uteri oſculo impediunt, ſua vehementia veros pariendi conatus multum ſuperant. Comitantur dolores hoſce ſpurios ordinarie flatuum ingens copia, borborygmi dolorifici, convulſivi, vomitus, ructusque. Differunt a veris partus doloribus maxime per hoc, quod hi a lumbis exorti antrorſum & deorſum urgeant, osque uteri laxent. In ſopiendis doloribus ſpuriis examinandum eſt, a qua cauſſa oriantur. Non raro enim ſola peccat ſenſibilitas & mobilitas hyſterica, quo in caſu ſummum remedium in opio habetur. Subinde vero latent in tractu inteſtinorum ſordes diu accumulatæ ob vitia diætetica tempore gravididatis commiſſa, aut ob impeditam ab expanſo utero excretionem alvinam, unde ſpasmi flatusque, id eſt dolores partus ſpu-

rii

rii producuntur. Alio tempore ſpurii hi dolores a ſanguine in vaſis meſeraicis & meſocolicis turgente dependent, qui Gallicis & Italicis fœminis breviori ante partum tempore venæ ſectionem admittentibus, rariores esſe obſervati ſunt. In primo caſu opium prodeſſe diximus, aliaque quæ antihyſtericorum titulo nota ſunt.

In ſecundo caſu lenia clysmata, purgantia mitiora, rhabarbarina aut mannata præmittenda, dein opiata ſubjungenda ſunt.

In tertio caſu, in fœmina plethorica, otioſa & laute vivente, etiam ſub ipſis parturiendis laboribus vena incidi debet, qua facta ſecurius opiata exhibentur. Remedia illa, anticolica dicta, quæve ex croco, aloë, myrrha, borace, aliisque hujus generis componi ſolent, inducto humorum orgasmo partum impediunt, hæmorrhagiis, inflammationibus uteri & aliis graviſſimis malis viam aperiunt, Opium, etſi dolores ſpurios comprimat, veros tamen adeo non ſupprimit, ut eos etiam inſigniter promoveat. Opium meticuloſis cardiacum inſigne eſt; ſed æqua prorſus virtute, qua vanos ante partum dolores opium coercet, illos diros cruciatos componit, qui prioribus iis longe graviores poſt partum ſæpiſſime affligunt.

Caus-

Cauſſæ horum ſunt

1) ſpasmi & flatus, qui inteſtina modo liberius faciliusque diſtendunt,

2) labores in edendo fœtu exantlati & debilitantes, diſtractaque & irritata uteri ligamenta, fibræque.

3) Motus humorum poſt partum inordinati ob remotam uteri prementis molem, donec maſſa ſanguinis denuo æquilibratur.

4) Sanguis coacervatus & ſtagnans in vaſis uterinis, & inteſtinalibus.

5) Genitalium dilatatio violenta partim ab ipſo fœtu, partim vero a rudi interdum obſtetricis manu inducta.

6) Maximæ tamen & *frequentiſſimæ* cauſſæ ſunt, placenta uterina, grumique ſanguinis reſtitantes, & irritantes, hinc ſpasmodicæ contractiones muſculorum abdominalium, uterique, ac ſi fœtus adhuc excludendus ſupereſſet.

Curam ſequentia abſolvunt: ligatura cita abdominis, quæ toties perperam negligitur, quæve adhibita tumultui flatuum & partium expanſioni medetur.

2) Quies, quæ viribus exhauſtis auxilium affert.

3) Emollientia topica, diluentia & nitroſa interne ſumpta, ſanguinem in vaſis mo-

ras

ras nectentem amovent, & lochia promovent.

4) Fomenta & unguenta emollientia contuſioni & diſtractioni viarum opem præſtant. Cum vero dolor a retentis non ceſſet, niſi hæc excreta fuerint, hinc

5) blanda obſtetricis manus grumos ſanguinis partesque placentæ jam per ſe avulſas removebit. Remedia pellentia, ariſtolochica prorſus infida, & ſi fortiora fuerint, etiam pernicioſa ſunt. Nam in partes jam avulſas atque libere in utero fluctuantes vim ſuam hæcce medicamenta exercere non poſſunt; in res vero adhuc cum utero connexas, gravi cum periculo agunt, febrim, inflammationem nimium lochiorum fluxum, ſpasmos graviores concitando. Verum cum conſtrictiones dolorificæ a contentis in utero excitatæ, tantæ ſoleant eſſe, ut hoc ipſo eorum excluſio impediatur, quemadmodum ſcilicet ſpasmodica ureterum ſtrictura a deſcendente calculo cauſſata, hujus ipſius deſcenſum remoretur. Igitur

6) opiata ex repetita toties experientia fibrarum uterinarum ſtricturam, & muſculorum abdominalium convulſionem feliciter ſopiunt, ac temporariam quaſi paralyſin inducunt, ut heterogenei corpori facilis exitus

pa-

pateat. Opium vel in potione cardiaca, vel in pulvere abſorbente cum elæoſaccharo, ſingulis horis vel bihoriis, in exiguas doſes diviſum ſummo cum fructu exhibetur. Cautius vero cum opiatis mercandum erit, quando febris lactea ingruit; ſique hæc diutius paulisper excurrat, majorique labore ſtipetur, ſi lac in mammis coacervatum ſtaſes minetur, opium omnino abeſſe debet, etſi levioribus puerperarum febriculis, iisque ephemeris, a levi cauſa oriundis, & aucta tranſpiratione cito ſuperandis opium cum infuſo florum ſambuci propinatum egregie conveniat. Male a quibusdam opium audit, quaſi id lochia ſuppcimeret, cum tamen ex certa experientia fluxum lochiorum promoveat. Illas ſaltem evacuationes ſiſtit, quæ a fibrarum ſenſu nimio, irritabilitate, ſpasmo, convulſione oriuntur, atque circulationis legi immediate haud ſubjectæ ſunt. Excretiones autem omnes, quæ a circulo ſanguinis immediate dependent, opium promovet. Quare nullum periculum ſuppreſſionis lochiorum erit, ſi juſto tempore exhibeatur.

In propinandis narcoticis hæ regulæ obſerventur, ſcilicet

1) nunquam danda ſunt opiata puerperis, niſi dolores graviores & motus ſolido-

rum

rum anomali ejus uſum poſtulaverint, remediis aliis fruſtra adhibitis.

2) Sollicite cavendum, ne doſibus majoribus aut frequentius repetitis peccetur.

3) Deſiſtendum ab ejus uſu, ubi impetratum eſt, quod quærebatur, aut ſaltem longiora ejus doſibus intervalla aſſignanda ſunt.

4) Deſiſtendum præterea, ubi individualis conditio, aut ſymptoma aliquod ab opio enatum contraindicabat, ſcilicet, ſi uti in tenerioribus puerperis ſubinde contingit, a modica opii doſi alto ſomno mergantur, ſi gravitas inſolita capitis, ſudorès largiſſimi, debilitantes, leve delirium, alvus ſtricta, appetitus dejectus accedit, opium omittatur; aut, ſi motus nervorum id expoſcant, ſaltem ad tempus ſeponatur, aut cum aliis coindicatis propinetur.

Fluxus lochiorum nimius.

Fluxus lochiorum nimius non a copia ſolum ſanguinis, ſed quam maxime ex viribus valde proſtratis, pulſu debiliſſimo & animi deliquiis dijudicandus eſt.

Cauſſæ ad duas claſſes revocari potiſſimum poſſunt vel enim

1) aliquid ſubeſt, quod ſanguinem expandit, & ſanguinis motum circularem, caloremque auget, unde nimio impetu delatus ad laxa & patula uteri vaſa pleno flumine affertur, aut

2) aliquid in cavo uteri præſens eſt, quod vaſa ejus nimis hiare facit, quodque ſimul impedit, ne vaſa ſui contractione ad ſtatum naturalem ſenſim accedant, & ſanguinis effluxum prohibeant.

Ad primam claſſem pertinent labores nimii in difficiliori partu adhibiti, aut conatus intempeſtivi; abuſus calidorum, pellentium, cardiacorum ſub partu & poſt eum; animi, pathemata maxime iracundia, ſanguis ipſe ſub graviditate forte ex diætæ vitiis acrior redditus, & copioſior, & neglecta fors neceſſaria ante partum venæ ſectione. His ſub conditionibus conveniunt quies ſumma, juſcula blanda avenacea, hordeacea, gelatinæ, emulſiones, lac, nitrum, acida blanda, tincturæ vittiolicæ, ſuccus citri, epithemata refrigerare & ſubadſtringere apta, pubi admota. Somnus ejusmodi hæmorrhagias recrudeſcere facit; opium autem in hoc caſu exhibitum perniciem affert.

Quod vero ad alteram cauſſam nimii fluxus lochiorum attinet, quando ſcilicet grumis

mis ſanguinis, concrementa polypoſa, portiones laceræ placentæ uterum irritant, & osculorum in vaſis contractionem impediunt, aut quando extractio ſecundinarum incauta & doloroſa vaſculis læſionem intulit, opium ſummi uſus eſſe deprehenditur. Hoc enim in caſu adſunt fere ſemper dolores abdominis, & ſpasmi maxime dolorifici, qui in priori caſu, quando ſcilicet a ſolo ſanguinis nimio circulo malum pendet, fere ſemper deſunt. Dolores autem præſentes grumorum aliorumque in utero contentorum, quæ uteri contractionem prohibendo nimio fluxui cauſſam præbent, excluſionem prohibentes, dato opio feliciter ſufflaminantur; ſic narcoticum *indirecte* lochiorum nimium fluxum compeſcit, quem quidem ex ſua natura directe potius augeret. Non aliter hic opium agit, ac in hæmoptyſi, quam cum aliis hæmorrhagiis per ſe ciere poteſt, quando tuſſim a ſtimulo in pulmonibus laceris natam cohibet, ac quietem pulmonibus præſtat, ſicque ſputum ſanguinis inhibet.

Fluxus lochiorum ſuppreſſio.

Suppreſſionem lochiorum cauſſant dolores poſt partum, vel ſpasmi abdominales, fri-

gus admiſſum, terror, hyſterica mobilitas. In malo ab his cauſſis pendente opiata reſtitantem fluxum promovent. Si vero eadem ſuppreſſio lochiorum contingat ob uteri inflammationem, cum gravi febre inflammatoria, ſi præterea inflammationes aliæ ſuperveniunt, e. g. pleuritis, peripneumonia, phrenitis, maximum orietur periculum.

Symptomata ſignaque graviſſimi hujus morbi, ſcilicet inflammationis uteri, probe notanda ſunt, ut a cauſſis ſupra allatis lochia ſupprimere valentibus, exacte dejudicetur, cum aliam longe medelam expoſcat. Symptomata autem ſunt ſequentia: dolor in tota abdominis inferioris regione, ad attactum auctus, abdomen tenſum, rubor a pube ad umbilicum usque, qui in malo letali nigreſcere incipit; facies valde mutata, leve delirium, febris continua cum pulſu duro, contracto, parvoque, ſubinde vomitus continuus, ſæpius ſingultus. Urina flammea, parca, urens, fœtens. Tenesmus, iſchuria ſubinde.

Prognoſis plerumque infauſta eſt.

Cauſſæ mali ſunt

1) in graviditate diſpoſitio phlogiſtica, & plethora, ſanguis ater, venæ ſectio omiſſa,

2)

2) ante partum aſſumpta ecbolica, pellentia, acria calida, aromatica. In partu extractio violenta ſecundinarum, unde uterus vulneratus, partus difficilis, uterum lædens,

3) poſt partum regimen calidum, aſſumpta ariſtolochica.

Remedia ſunt ea omnia, quæ ſumme antiphlogiſtica audiunt. Venæ ſectiones; præcipue clysmata ex aqua tepida frequenter injicienda. Aquæ tepidæ injectio in uterum, frequentes fotus & clysmata ad abdomen & pubem. Potus antiphlogiſticus, hordeaceus, emulſum cum nitro.

Febris lactea.

Secundo, plerumque autem tertio poſt partum die, raro ſeptimo aut octavo die magna lactis copia ad mammas ruit, febrimque excitat, ſubinde ſatis gravem; at incommoda hæc evitantur, ſi mammæ continua fere infantis ſuctione depleantur. Quodſi vero hæc materies, ex qua lac præparatur, nequidem ad mammas deferatur, aut ſi lac ex mammis denuo regurgitet, febris oritur, quæ tamdiu perſiſtit, donec materies hæc lactea,

tanquam alienum corpus ſanguini comiſtum, penitus fuerit eliminatum.

Effectus regurgitantis ex mammis in ſanguinem lactis ſunt triplicis ſpeciei vel enim

1) lac in ſanguine reſtitat. Vel

2) per loca quædam excretoria eliminatur e corpore; vel

3) in loco quodam vel interno vel externo præternaturalem facit collectionem.

In primo caſu oritur continua & chronica febris, cum tuſſicula frequenti & ſicca, majori macie ac in aliis febribus continuis, quæ tandem in mortem terminatur.

In ſecundo caſu lac abit per uterum, alvum, urinam. Frequenter obſervantur poſt paucos a partu dies lochia alba utplurimum, vereque lactea. Fluor hic albus & lacteus diuturnus in quibusdam eſt, uterum laxum, debilemque, ac vix non ob continuam humoris lactei inundationem paralyticum reddit. Inde ad venerem tarditas & concipiendi impoſſibilitas oritur.

Præterea hic lactei humoris fluxus fluorem album pertinacem producit. Non raro per alvum magna lactis quantitas eliminatur, rarius per vomitum. Quibusdam lac per urinam abit, quæ evacuationis ratio omnium facillime ceteris longe minus periculo-

ſa

ſa eſſe ſolet. Alia quoque via lac ſubactum, attenuatumque excernitur, ſcilicet per ſudorem, qui febrim lacteam ſæpe aut minuunt aut judicant. Materiam autem hanc per ſudores eliminatam vere lactationem fuiſſe, etſi ſummopere attenuatam, ex eo conſtat, quod induſia hoc ſudore madida, deinde exſiccata *rigeſcant*. Quod ſi regimine nimis calido plus lactis ad ſuperficiem corporis determinetur, aut ſi eo ruat, antequam ſufficienter attenuata & excretioni apta reddita fuerit materies lactea, ea in externis cutaneis vaſculis hærebit, eaque in papulas elevabit, quas ſub miliarium nomine noſcimus.

Lac ſubinde poſt aliquot ſeptimanas denuo ad mammas felici cum eventu redit, cum plena omnium ſymptomatum ceſſatione.

Quodſi febris illa continua, quam *febrim lacteam chronicam apte appellabimus*, diutius jam duraverit, contingit, ut ſudores copioſi oriantur, per quas materia exitum quærit. Salutaris quidem eſt ejusmodi per ſudores evacuatio, ſi apta inſuper medela accedat. Eadem hæc febris lactea chronicas tandem varias efflorefcentias cauſſat, furunculos abeuntes, redeuntesque, herpetem, ſcabiem, unguium in digitis, abſceſſiones frequentiſſimas & ſpontaneas.

In

In tertio caſu fit depoſitio lactis. Quando ſcilicet vaſa ſanguifera materiam hanc lacteam tanquam alienam alicubi deponunt. Uti in podagra variolis, eryſipelate &c. fit. Primis 10 aut 12 a partu diebus ſubinde tales depoſitiones fiunt in cerebro, aut pulmonibus unde inſtantanea mors ſequitur. Poſt hoſce primos a partu dies tales ad caput aut pulmonem depoſitiones rariores ſunt, frequentiores autem ad cavum abdominis, ad meſenterium, ad ovarium, in articulationem femoris, ad crus, ad pinguedinem circa mammas poſitam, ad brachia, aliasque corporis partes. Diverſiſſima omnino ſymptomata, quæ apud ſcriptores medicos leguntur, vixque credibilia ſæpe videntur, ab hac origine naſcuntur.

Cura. Febrim lacteam præcavet evacuatio lactis per mammas, quod ſuctione, item applicata machina ſuctoria fieri poteſt.

Præſens autem mitigatur, curaturque diæta tenui, quæ majorem lactis copiam fieri prohibet,

2) Decocto hordei cum nitro, tepide hauſto, quod vias omnes ſecretorias & excretorias apertas ſervat, per quas natura ſuo ſe opere liberare valet.

3) Magneſia nitri quæ alvum promovet. Alvus hac ratione mota mirifice prodeſt, & inanis multorum metus eſt a medicamento alvum leviter ſollicitante. Primo aut ſecundo jam die id cum emolumento inſtituitur. Si hujus evacuationis aliqua appareat neceſſitas, qua abſente inepta ejusmodi medicamentum propinaretur. Si depoſitio lactea alicubi oriatur, interne ſequens potio detur ſcilicet;

R. Radic. graminis
cichorei ana unc. j.
Coqu. per 1/4 hor. cum libr. j. aquæ dein adde
Salis ſedlicenſ. unc. β.
Mannæ calabrin. unc. ij.
Colat. D. U. Sumat omni media hora unc. iij.

Externe adhibitur ſequens:

R. Micæ panis alb.
Flor. chamom. ana q. ſ.
Coque cum ſuf. qu. lactis in forma
Cataplasmat. ad finem adde
Saponis venet. dr. j.
D. U. Ad tumorem adplicetur, & omni trihorio renovetur.

Si tumor hac ratione diſcuti non poſſit, is ad maturationem perduci & aperiri debet. Lac in mammis ſtagnans diſcuti quam primum de-

debet, ne ſcirrhus inde & demum cancer oriatur. Scirrho a lacte orto extractum cicutæ egregie convenit.

4) In febre lacte cavendum ab acidis aut facile aceſcentibus, niſi peculiaris & a lacte diverſa materies acida exigeret.

5) Præter abſorbentem magneſiam convenit etiam oleum tartari per deliquium ad guttas 10. 12. 15. 20 ter quaterve per diem propinatum in aqua, jusculo.

6) Cavendum ab acrioribus medicamentis, quæ nervi in hiſce circumſtantiis nimium mobiles minime ferunt.

7) Quod ſi materia lactea cum ſanguine diu permixta, illam febrim lacteam, quam *chronicam* appellavimus, produxerit, neceſſaria ſunt remedia roborantia, excitantiaque, etſi febris ſubinde ſat magna videatur. Neglecta hæc obſervatio fecit, ut multæ per menſes etiam cum moleſtiſſima febre fuerint complicatæ.

8) Si ſignum eſſet futuræ depoſitionis lacteæ ad partem quandam internam, proderit parti externæ cucurbitas, cataplasma, rubefacientia, veſicantiaque adplicare, ut excitata hoc in loco irritatione materies extrorſum proliciatur.

Fluor

Fluor alvi poſt partum.

Non inutile futurum videtur, ſi inter morbos puerperarum etiam de fluore alvi mentio fiat, etſi is nullam cum puerperio connexionem habeat. Credunt medici quam plurimi vix dari morbum, ubi medico aqua magis hæreat, quam in fluore alvi puerperæ ſuperveniente. Nihilominus *Baglivius*, aliique quidam graviſſimi viri obſervarunt alvi fluorem in puerperio eſſe non ſolum innoxium, ſed & ſalutarem. Videndum igitur, quid in re tam gravi pro vero tenendum ſit. Diſtinctius omnino *Riverius* loquitur, dum aſſerit, mulieres purgamentorum ſuppreſſione laborantes, ſi poſt ſeptimum aut nonum diem alvi fluxu corripiantur, utplurimum liberari; ſi vero primis diebus, ſecunda, ſcilicet, tertia, vel quarta, diarrhœa acciderit, utplurimum interire.

Duplex autem caſus poni debet, ſcilicet

1) vel enim lochia ex idioſyncraſia, licet rarior ea ſit, non fluunt, aut parcius ſuccedunt, & cito diſparent, ſuccedente diarrhœa leniori, & absque pravo alio ſymptomate fluxum lochiorum compenſante. Hoc in caſu diarrhœa innocua prorſus eſt. Vel vero

2) ex alio quodam vitio diarrhœa oritur, e. g. ex ſordibus multis tempore graviditatis collectis, ex victu incongruo in ipſo puerperio, potu fermentato aut fermenteſcente aſſumpto, admiſſo ad corpus frigore, animi pathemata. Si levis diarrhœa ex vitiis diæteticis ante partum commiſſis oriatur, absque malo alio ſymptomate, absque ſuppresſione lochiorum, aut ſi lochia jam bene diuque ſatis fluxerint, diarrhœa inoxia, quin etiam ſalutaris omnino erit, uti *Baglivius* affirmavit. Ubi vero ex eadem cauſſa alvus aut nimium fluat, aut cum pravis ſymptomatibus, metus erit, ne fluxus lochiorum ſupprimatur, averſo aliorſum humorum motu, aut in vaſis uterinis ſanguis ſtagnat, ibique aut etiam alibi periculoſas inflammationes producat. Hoc in caſu non equidem purgantia ſtricta ſic dicta, attamen abſtergens manna, rheum, magneſia nitri, & dein ad ſopiendas turbas, fluxumque lochiorum promovendum opiata omnimode indicantur. Si vero ex ſolo admiſſo frigore, aut terrore humores ad inteſtina ruant & alvi fluorem excitent, juvabit ea adhibere, quæ ſuppreſſam perſpirationem denuo revocent, uti ſunt epithemata calida ad abdomen, leniſſima diaphoretica, opiata.

MOR-

MORBI INFANTUM.

Inter morbos infantum & puerorum recenſentur ii potiſſimum, qui juniorem hanc ætatem ad decimum fere annum aggrediuntur.

Omnes fere infantum morbi ad quatuor cauſſas primarias reduci poſſunt, ſcilicet ad *meconium*, *acidum*, *dentitionem*, *vermes*.

Meconium ſive picea illa materies, quæ primas vias in infantibus obducit, expurgari penitus debet, antequam nutriatur. Id quod ſequentibus modis perficitur.

1) Lacte materno, ſtatim poſt paſtum hauſto, quod utpote ſeroſum adhuc & tenue, vim ſolventem & purgantem habet, ad eliminandum meconium ſummopere proficuam.

2) Si autem lacte hoc recens natus infans viduetur, proderit eidem primis xxiv horis lac nutricis non præbere. Sed

3) propinetur ei aqua ſaccharata, aut mellita. Vel

4) unc. j. Syrup. cichorei cum rheo, aqua dilutus, qui intra xxiv horis, totus abſumi debet.

Si infans admodum debilis aliquo nihilominus nutrimento egere videatur, panis biscoctus aqua maceratus, aut tenue decoctum

pa-

panis, aut panatella tenuis ex pane toſto propinetur.

Etſi probe a meconio purgati fuerint, tamen a lacte poſtmodum ingeſto, quod in debili ventriculo facile aceſcit, peſſime habere ſolent. Lac maternum facilius ferunt, utpote tenuius & tenello accommodatius.

Symptomata lactis aceſcentis ſunt, ructus & fœtor acidus ex ore, vomitus caſeoſæ materiæ, flatus fœtidiſſimi & ſonantes pedendo emiſſi, borborygmi, dolores colici, quos ex clamoribus continuis ſæpe repentinis, ex crurum ad abdomen attractione, convulſivis motibus in facie, oculis in ſomno ſemiapertis, ore inter dormiendum quaſi ad riſum compoſito, ſubita excitatione cum ejulatu facile colliges. Fœces virides. Lenimen momentaneum poſt alvi depoſitionem, aut flatus emiſſos. Hoc in caſu opus

1) Materiam acidam partim eliminare, partim invertere.

2) Ventriculum roborare. Magneſia nitri, lapides cancrorum, ſapo venetus &c. multum valent, ſi cum rheo conjungantur: prodeſt e. g. ſequens pueris

℞. Lapid. cancror. vel
Magneſiæ nitri dr. ij.
Cinnamomi gr. jv.

M.

M, D. in doſes no. VIII. Quotidie tres doſes in infuſo meliſſ. vel flor. tiliæ propinentur. Item ſyrup. de cichoreo cum rheo adjuncto ſapone venet. Egregie quoque convenit ſequens pulvis:

R. Lapid. cancror. unc. β.
Sapon. venet. dr. j.
Rhei electi dr. β.
Sacchar. alb. dr. iij.
Pulv. ſemin. fœn. dulc. ſcrup. j.

M. Quotidie duo aut tria cochlearia coffeana dentur in pauxillo lactis.

In colica infantum ab acido orta, ſolent nutrices, quin & medici oleum amygdalarum dulcium præſcribere, quod acrimoniam acidam involvat, nervosque defendat. Verum etſi pro exiguo tempore dolorum lenimen ſequatur, nihilominus cauſſa morbi augetur, laxitas videlicet ventriculi, peſſimaque acrimoniæ ſpecies ex acido lactis & oleo naſcitur, novorum dolorum ſcaturigo. Hinc olea ejusmodi nunquam danda ſunt, niſi forte convulſio ab acido orta inſtantaneum auxilium poſtularet, ubi indicatio a præſenti periculo deſumitur.

Præterea alia eſt admodum prava conſuetudo in doloribus colicis opiata exhibendi. Hac enim ratione.

1) Convulſiones, quas, ſopire volumus, in irritabili admodum corpore, quod viroſam opii vim ferre nequit, non raro augemus.

2) Cum adcurata doſis ſtatui vix poſſit, ſæpius peccatur, uti ex obſervatione ſat frequenti patet, infantum ob datum opium ex apoplexia mortuorum.

3) Si etiam dolorum lenimen obtineatur, attamen manente eorundem cauſſa, eaque altius infixa, nil proficitur.

4) Opiata alvum, cujus crebrior ſolutio in doloribus ab acido ortis mirifice prodeſt, ſupprimunt.

5) Cum opium ſanguinem verſus caput urgeat, vaſaque cerebri dilatet, infantes ex crebro ejusdem uſu redduntur ſtupidi, uti pariter experientia frequenti conſtat.

6) Opium vires ventriculi & inteſtinorum dejicit, quas tamen in malis ab acido per ſe jam plus æquo dejectas intendere oportet.

D e n t i t i o.

Menſe ſeptimo & ſubſequentibus dentes prodire incipiunt.

Signa & ſymptomata dentitionis futuræ ſunt. Infans papillas nutricis mordet, digitos, aliasque res ori imittit, os calet, rubet, gingivæ in loco dentis prorupturi in tumores elevantur. Saliva prodit copioſa, febris, convulſio, alvus aut ſtricta nimium aut laxa, Tonſillæ, genæ, oculi rubent, tument.

Prognoſis : Si plures dentes ſimul prorumpant, convulſiones, comatoſum quid, & demum apoplexia ſupervenient. Infantes valetudinarii, debiles, debilibus nati parentibus, difficillime dentiunt. Item alvus conſtipata difficiliorem, laxa vero longe faciliorem dentitionem facit.

Cauſſa proxima eſt inflammatio gingivarum, & tenſio membranæ dentibus ſupertenſæ.

Indicatio ergo eſt:

1) Inflammatas tenſasque partes emollire, aptasque reddere, ut facilius perrumpantur. Idque tandem, ſi per ſe fieri non poſſit, arte ipſa perficere.

2) Nervos irritatos & in conſenſum tractos ſopire. Hinc juvat gingivas oblinire melle tepido, ſyrupo violarum altheæ, butyro recenti addito ſucco portulac. ſedi major. Nervos autem componit ſyrupus e meconio, diacodii; omni media hora datur co-

chlear

chlear coffeanum: interim tamen attendendum, ut alvus ſemper aperta ſervetur clysmatibus, vel ſyrupo mannato. Quod ſi ſymptomata perſtent, ſola gingivarum ſupra dentes diſſectio ſupereſt, quæ omni prorſus periculo caret. Hac ratione tenſæ membranæ relaxantur, ipſaque diſſectio vires venæ ſectionis localis ſubit. Quodſi comatoſa affectio adſit, labia, gingivæ, totumque fere corpus liveſcat, illico vena ſecanda eſt, aut ponenda ad maxillam hirudines ſunt. Quemadmodum lenis diarrhœa morbum reddit tolerabilem, ita profuſa nocet, vires exhaurit, inde tamen convulſiones ex nimia inanitione oriundæ ſequuntur. Hinc nimiam diarrhœam diacodiatis moderari oportet. Antequam ſigna dentitionis adpareant, prodeſt ſi gingivæ ſæpius durius perfricentur, immiſſo ſæpius a nutrice digito, aut re quacunque duriori. Si vero dentitionis ſymptomata jam adſunt, gingivæ inflammatæ dolenteſque ſint, mere emollientia juvant. Hisque nil proficientibus, venæ ſectiones, hirudines, aut ipſæ gingivarum diſſectio ſola juvabunt. Sunt qui in convulſionibus infantum a difficili dentitione ortis veſicantia ſuadent; ſed bacchantis potius, quam ſanantis medici eſt, ſtimulum tam acrem tenello irritatoque corpori infantili admovere.

re.

vere. Fœces virides in dentitione apparent æque ac in malis ab acido. Virorem fœcum in dentitione potius a bile convulſivo modo e veſicula fellea expreſſa deducendum exiſtimamus.

2) Volatilia e. g. ſpiritus cornu cervi in epilepticis motibus a difficili dentitione ortis infida videntur, irritationemque potius augere, quam ſopire valentia.

3) Ad ſeptimum ætatis annum usque 20 dentes prorumpere ſolent, hoc ergo dentium numero exiſtente, ægritudines puerorum in difficilem dentitionem rejici non debent.

Vermes.

Omnis ætas; præcipue autem infantilis vermibus ſæpe infeſtatur.

Vermes nocent

1) nutrimentum ſubtrahendo

2) humores ſuis excrementis & exuviis inquinando.

3) Inteſtina irritando. Qui vermibus laborant, morbis acutis, item variolis gravius afficiuntur.

Cauſſæ ſunt: hauſtus aquæ impuræ, paludoſæ, ſeminibus inſectorum repletæ. Fructus horæi, caſeus, lardum &c. ovulis inſe-

ctorum infectum. Carnes fumatæ. Eſus piſcium eorum, qui plerumque tænia laborant, & in quibus ſemina novarum tinearum latent. Coctione, aſſatura, vi ventriculi non deſtruenda. In regionibus illis, ubi piſcibus utplurimum veſcuntur, frequens admodum tenia eſt. Ovula hæc facile excluduntur in homine mucoſo, ſedentario, debili, corpore infantili, puerili, fœmineo.

Sedes vermium plerumque eſt in ventriculo & inteſtinis, licet ubique locorum in corpore humano vermes aliquoties fuerint deprehenſi.

Species vermium plures ſunt, qui communiter hominem infeſtare ſolent, ſcilicet

1) *Aſcarides* vermiculi albi, utrinque in tenue acumen deſinentes, valde exigui, iis ſimillimi, qui in caſeo putrido copioſi repeciuntur, in inteſtino recto, ſubinde & in colo hærent numeroſiſſimi, etiam extra humanum corpus in paludoſis locis & ad radices putreſcentium plantarum notante *Linnæo* reperiuntur. Pruritum in ano intolerabilem excitant. Sæpe in fœminis ex ano prodeunt, & circa genitalia pruritum, fluoremque album excitant. Inde aſcarides vaginæ uteri.

Secunda ſpecies eſt *lumbricorum* terreſtrium. Frequens eſt admodum hic vermis

in hominibus, aliisque animalibus, præcipue in canibus. Lumbrico terreſtri, admodum ſimilis, licet ſpecie differre ab eodem videatur.

Tertia ſpecies eſt tænia, quæ ex pluribus portionibus ſemina cucurbitæ referentibus compoſitæ eſt, quæ ideo *vermes cucurbitini* appellantur. Tales teniarum ſpecies ſunt, ſcilicet tenia ſolium vel *tenia vulgaris*. L. & *tenia lata Lin.* quæ in homine rarius, ſæpius vero in canibus deprehenditur. Miranda ſæpe eſt teniæ longitudo, ſcilicet multatum non raro ulnarum. Sedem habet in omnibus inteſtinis, quin & in ventriculo, atque acutiſſima ſua longaque proboſcide inteſtinis frequentiſſimus eſt in canibus, ovibus & piſcibus, felibus aliisque variis quin etiam extra animalium corpore in aquis deprehenduntur.

D. *Darelius* in inteſtinis recens nati caniculi cujusdam invenit, unde tenia inter morbos etiam conatos ſubinde numerari poſſunt.

Quarta ſpecies eſt *aſcaris lumbricoides*, ab aſcaridibus ſupra deſcriptis ſola majori longitudine differt.

Quinta ſpecies eſt *faſciola inteſtinalis*, quæ teniam refert, ſed articulationibus, ſive portionibus cucurbituris carentem.

Sexta ſpecies *Gordius aquaticus*, (*Fadenwurm*) qui fortioribus purgantibus abigitur, aquarum potiſſimum incola.

Septima *Trichurides Rœdereri* geſchwänzte Würmer) hæc ultiores tres ſpecies rariores ſunt.

Quibusdam annis morbi verminoſi quaſi epidemici ſunt, morbosque alios epidemicos graviores reddunt.

Nocent autem

1) multitudine & magnitudine unde, fames ſæpe canina, nutrimenti ſubtractio.

2) Muco, cui tanquam nido inhærere ſolent, morbi muco inteſtinorum oriri ſoliti, e. g. colica, obſtructio, vomitus.

3) Motu, reptatu, ſuctuque, id quod fit, ſi nutrimento careant, aut alimentis ipſorum indoli adverſus moleſtantur.

Univerſim fumatas, ſalitasque carnes, vina acida, allium, aniſum, liquiritiam, ſaccharum, vermes haud ferunt, lacte autem delectantur.

Symptomata ſunt *numeroſiſſima* a magnifico Profeſſore de Haen diligentiſſime collecta, quæ inter ſequentia frequentius occurrunt. Dolores colici frequentes, leviores, absque manifeſta cauſſa repente orti, ſalivæ in os copioſior affluxus, mane imprimis &

ven-

ventriculo jejuno. Anhelitus gravis, orisque fœtor. Narium pruritus, appetitus inordinatus, modo nullus, modo autem validus. Cardialgia, vomitus, ſubinde alvus obſtructa, ſæpius diarrhœica excrementa male digeſta, mucoſa. Abdomen magnum corpore ceterum macilento. Sitis continua, nullo potu ſedanda, continua laſſitudo, & melancholia. Color faciei cacheticus & cacochymicus, frequenter mutatus. Oculorum deperditus vigor, cum limbo cœruleo circum circa. Inter dormiendum oculi ſemiaperti eorundem albedinem monſtrant, ſtertorque dentium, leves convulſiones & inſomnia. Urina frequenter alba, lacteaque, palpitatio cordis, leipothymiæ, convulſiones, ſudores frigidi repentini. Febris, viſus auditusque deperditus, paralyſis artuum. Gingivæ male affectæ, corroſæque, ſingultus, pulſus parvus, debilis, frequens, omnique modo irregularis. Tuſſicula frequens, moleſta ſicca, quæ ſigna de vermium præſentia ſat tuto concludere licet. Senſus motus, reptatusque in abdomine. Vix ullum ſymptoma eſt, quod a vermibus produci non poſſit.

Cura alia eſt *palliativa*, alia *curativa* & *radicalis*. Si ſimptomata a vermibus excita-

ta

ta citam opem poſtulant, ab ſequenti ratione perficitur. Si ſcilicet

1) æger unam aut duas libras lactis recentis recenterque emulſi & adhuc tepidi bibat.

2) Vomitorium lene propinatum ſatis certo graviſſima etiam a vermibus excitata ſymptomata ſedat.

3) Juvant ea, quæ ex aſa fœtida, opio ſale volatili cornu cervi, eſſentia caſtorei, quotiescunque anxietates, convulſiones, leipothymiæ repentinæ oriruntur a vermibus.

4) Extractum abſynthii a dr. j — unc. ß in vino propinatum incommoda, potiſſimum a tenia excitata paulo poſt tollit.

Cura autem *radicalis* ſequentibus abſolvitur: primo in aſcaridibus prodeſt

1) diarrhœa hauſto betulæ ſucco, item aquis medicatis purgantibus e. g. rohicenſibus concitata per aliquot dies,

2) ſuppoſitoria frequenter repetita & ex fruſtulis lardi confecta, alte imiſſa atque ex filo pendente, quo facilius extrahi poſſint.

3) Clysmate ex lacte tepido cum pauxillo ſalis marini. Item clysmate, quod ſequenti modo paretur: ſcilicet unc. j. Mercurii vivi in olla vitreata contecta lente cum libra j. aquæ coquitur. Dein additur mellis

&

& per modum clyſmatis injicitur. Id tamen frequenter repetere oportet.

Lumbrici expellantur ſequentibus modis

1) medicamenta anthelmintica mane jejuno ſtomacho ſunt propinanda, quo tempore vermes ipſimet nutrimentum quærunt.

2) Propinantur eadem medicamenta in lacte tepido recenter mulcto, vel in mulſo; vel in aqua, in qua mercurius decoquebatur.

3) Eodem tempore lac tepidum clysmate injicitur, ut ad partes inferiores inteſtinorum proliciantur.

4) Quod ſi aliquo poſt aſſumptum medicamentum tempore vehemens in loco quodam fixusque dolor oriatur, ſignum id erit vermium inteſtina rodentium, hinc illico locus dolens *petroleo* inungatur, vel imponatur cataplasma ex ſummitatibus abſynthii contuſi, allio, farina ſecalis & felle bovino recenti.

5) Per aliquot dies ante aſſumpta anthelmintica æger abſtineat lacticiniis, veſcatur autem ſalitis duris, allio, raphano ruſticano.

6) Per tres conſequentes dies mane jejuno ſtomacho ſequens bolus ſumatur:

R. Sal martis Lond. gr. jv.
Semin. Santonic.
Radic. Jalapp. aa. dr. ß.

Mel-

Mellis q. ſ. ut ſiat bolus. Interpoſitis 10 diebus denuo tres conſequentur boli quotidie ſumuntur. Inter ſingulas alvi depoſitiones juſculum bibitur.

Toto autem tempore quotidie æger bibat libram aquæ mercurialis ſupra deſcriptæ. Aqua mercurialis etiam ſequenti ratione paratur.

R. Rad. gramin. dr. ij.
Flaved. cord. aurant. dr. ß.
Cinnamom. alb. gr. vj.
Aquæ fontan. menſ. ij.

Coquatur donec remaneat quarta pars.
Colaturæ affunde
Mercurii vivi unc. ij.

Stent in loco tepido per noctem in vaſe vitreato: Aqua mane decantata melle edulceretur.

Infuſum foliorum hyſopi contra lumbricos pariter laudati. Sequentes pilulæ loco boli dari poſſunt.

R. Extract. tanacet.
Semin. Santonici cont. aa. ſcrup. ß.
Reſin Jalapp. cum amygd. probe trit. gr. viij.
Ol. ſtillat. tanacet. gr. j.

M. ſ. Pil. Nro. XII. Sumat omnes pro doſi.

Lo-

Loco ſalis martis mercurius dulcis accipi poteſt. Notandum autem doſes has pro adultis eſſe. Infantibus quibus nec pilulæ, nec pulveres ingeri poſſunt, datur pulvis ſeminis ſantonici cum butyro pani illito, vel in melle ſuperbibendo aquam mercurialem. Loco ſeminis ſantonici *Linneus* commendat ſemen abrotani campeſtris (Feldgertel); allium pariter eſt egregium anthelminticum, quod vel crudum commeditur, vel cum lacte recenti infunditur, vel ſuccus ejus expreſſus cum æquali quantitate olei amygdalarum, ſucci citri & ſufficienti quantitate ſacchari omni mane per aliquot dies propinatur, interpoſito purgantium rhabarbarinorum uſu. Item pilulæ ex aſa fœtida ſæpius per diem exhibitæ, & tandem purgans ex rheo egregie conveniunt. Extractum nucum juglandium immaturorum a multis inter optima & certiſſima anthelmintica numeratur: e. g.

R. Extracti nucum jugland. dr. ij.
Aquæ cinnamom. unc. ß.

M. D. puero 3 — 4 annorum bis terve per diem gt. L. poſt 6 — 8 dies purgans mercuriale. Item

R. Extract. hellebori nigri ſcrup. j.
Vitrioli martis artificial. ſcrup. ß.

Sol-

Solve in unc. j. aquæ cardui benedict. dein adde

Syrup. violar. vel mellis q. ſ. ut dulcoretur.

Doſis pro adulto omni mane ſumendo. Item

R. Folior. recent. hellebor. fœtidi Lin. drach. j.

vel folior. exſiccator. ejusd. gr. xv.

Coque per aliquot minuta cum ſ. q. aquæ.

Doſis pro puero a quarto ætatis anno ad ſeptimum usque. Sunt qui præferant ſyrupum ex ſucco ejusdem plantæ expreſſo paratum interpoſito uſu tincturæ rhei aquoſæ. Abactis vermibus neceſſe eſt roborantibus & amaris, vino chalybeato &c. primas vias confirmare. Quodſi durante morbo acuto ſymptomata vermium gravius ægrotum afficiunt, propinetur aqua mercurialis cum ſyrupo ex aceroſi citri, vel paratur electuarium molle ex duabus partibus olei amygdalarum una parte ſucci citri & ſ. q. ſachari. Inde quater per diem duo triaque cochlearia accipiuntur. Camphora lumbricis pariter inimica. In morbo acuto cum ſymptomatibus verminoſis juvat quoque cataplaſma ſupra deſcriptum.

Tæ-

Tænia omnium difficillime abigitur, ejus expulſio ſequentibus modis aliquoties feliciter tentata eſt:

1) Sumpto purgante qualicunque, ſub cujus operatione aqua frigida præcipue vero medicata ſive acidulæ per vices copioſe bibitur. Ratio methodi eſt, quod tænia ab ingeſta frigida ſeſe contrahat*, ſtupida reddatur, ſicque ope purgantis facile expelli poſſit.

2) Pilulis purgantibus, quibus ſtupefaciens opium adjectum eſt. Hac enim ratione tenia etiam ipſa torpida facile vim purgantis experietur.

3) Tæniæ infeſta ſunt ſequentia. Fumatæ ſalitæque carnes, braſſica fermentata, vina acida, allium, aſa fœtida, abſynthium, ſemen ſantonici, flores ſulphur. martialia, cepa. Raphanus ruſticanus. His enim diutius aſſumptis inferiores inteſtinorum partes tenia petit. Hinc aſſumpto dein purgante facilius expelli poteſt. Sed neceſſe eſt, ut purgans per duos continuos dies repetatur. Sequens pulvis inte quosdam arcanus teniam aliquoties expellit.

R. Pulv. carbonum foſſilium,
— pyrii non pulveriſati ſed finiſſimi ana dr. j ß.
Piperis pulverati gr. vij.

M.

M. D. U. Div. in p. iij. Omni mane pulverem in pauxillo ſpiritus ardentis.

Doſis, ſi commode feratur, augeri poteſt.

Si hac ratione vermis non expellatur, juverit quarto aut quinto die radicem jalappæ aſſumere. Diuturnus allii uſus vermem occidit, ſatis certo, quod eo ſecurius adhuc fiet, ſi ſubinde purgans ex jalappa propinetur. In Aegypto utuntur *petroleo*, quod ad 30 — 40 gutt. continuos dies aſſumunt, & dein purgans ſubjungunt. Item *oleum heraclinum Rulandi*, *oleum animale Dippelii*. *Oleum therebinth*. Mercurialia ab omni fere ævo laudata minoris contra teniam virtutes eſſe videntur, cum multi hoc verme laborantes mercurio copioſe contra luem veneream fuerint uſi, tenia illæſa perſiſtente; præterea Cl. *Scopoli* circa fodinas mercuriales Idrienſes plures, quam alibi verminoſos exiſtere aſſerit in diſſ. de hydrargyrio idrienſi.

Laudatur a Cl. D. *Browne* ſpigelia anthelmia, quæ ſic præſcribitur:

R. Spigeliæ totius M. ij.

Coque cum libr. ij. aquæ ad mediet.

Colatur. adde

Succi citri &

Sae-

Sacchari q. ſ. ad gratiam. Bibat omni 6ta, 8va, vel 12ma hora uncias 2. 3. 4. cui dein purgans ſubjungitur.

Spigelia hæc vim narcoticum uti opium habet. Pulvis radicis Spigeliæ æque prodeſt. Aliqui dr. herbæ Spigeliæ infundunt cum unc. jv. aquæ fervid. Exempla in Anglia, Suecia, Ruſſia, felici cum eventu inſtituta ſunt.

Vomitus.

Vomitus infantum varias agnoſcit cauſſas e. g. tuſſim, præcipue ferinam, ſive convulſivam, dentitionem, variolas imminentes, vermes, acidum acre, lac caſeoſum, pultem nimiam ingeſtam, perfrigerationem &c. In ſaburra ventriculi vomitus vomitu curatur, niſi is nimius fuerit & debilitatem ſummam ac convulſiones inducat. Medela ex cauſſa vomitum producente facile deſumitur, id ſolum monendum reſtat, pertinacem vomitum, ablata omni materia, tamen pertinaciter perſiſtentem laudani, una alterave gutta in ſyrupo aliquo exhibita ſiſti debere.

Diarrhœa.

Diarrhœa infantum excitatur a dentitione, acido, vermibus, a pituita lenta oſcula lactea, & glandulas meſeraicas obſtruente, a collectis cruditatibus, ab uſu ſacharatorum, bellariorum, placentularum in paulo adultioribus. Diarrhœa poſt ablactationem a mutato victus genere.

Diarrhœa infantum rachiticorum, ſcrophuloſorum.

Pro varia cauſſa conveniunt varia, e. g. antacida, abſorbentia, rhabarbarina, clysmata demulcentia, topica, blandior carminativa, amaricantia, pulvis maſtichis, cum nuce moſchata, externa balſamica, aut ſpirituoſa linimenta. Mixtura ex aqua meliſſæ, menth. cinam. & abſorbentibus. Clysma ex aqua, in qua creta diſſolvitur.

Convulſiones.

Convulſiones infantum oriuntur a meconio, a depreſſione calvariæ, a qua in neonatis ſæpius convulſiones oriri quidam autumant, quæve ſæpe lethales evadunt, niſi ope emplaſtri picei depreſſus locus elevetur.

A

A menſtruis nutricis; a retropreſſis cutaneis eſſloreſcentiis, a vermibus, lacte corrupto, caſeoſo, acido, a pulte copioſius ingeſta, corrupta, alvum obſtruente a prægresſis nimiis evacuationibus per vomitum, aut diarrhœam. Quo in caſu opiata præſtant. A terrore nutricis, a dentitione notandum eſt *Baglivii* aſſertum, vicentis: *Omnes fere convulſiones infantum a ſtomacho, fiunt unde illis ſtatim morbum ſolvunt lenia purgantia, præſertim infuſum rhei.* Item Cl. *Thomſoni*, dum ait: *alvus laxata mox reſtitui in meliorem ſtatum infantes epilepticos.*

Tuſſis.

Tuſſis infantum alia ferina eſt & convulſiva, alia catarrhalis, verminoſa, morbilloſa, dentitioni juncta, a retropreſſis vitiis cutaneis prognata, tuſſis ſtomachica ſive ſtomachico-convulſiva, quæ pro cauſſa habet ſarcinam ventriculi acrem, ſcidamque. Item alia quædam tuſſis convulſivæ ſpecies, quæ ſtimulum ſuum in cruditatibus ventriculi habet, neque manifeſta viſcidi muci rejectione ſtipatur, ſed a tenuiſſima acrimonia bronchiis impacta, & villos nervoſos irritante proficiſcitur. Tuſſis hæc convulſiva

ſic

ſicca vocari debet. *Sydenhamus* aſſerit, ejus curationem venæ ſectione & blandis catharticis abſolvi.

Rachitis.

Rachitis inter morbos hiſce ultimis ſæculis prognatos, & antea in Europa ſaltem ignotos recenſeri debet. Circa annum 1630. in Anglia innoteſcere cœpit, atque primo a *Gliſſonio* deſcripta invenitur. Modo per omnem late Europam frequens eſt.

Signa & ſymptomata ſunt: Caput grande, facies tumida, pallida. Venæ jugulares amplæ. Corporis reliqui macies, cutis pendula, hypochondrium dextrum prominens, tumidumque, tumor articulorum; carnes flaccidæ. Os frontis prominens; ſuturæ dehiſcentes. Dentes flavi, nigri, denuo excidunt, pectus utrinque intropreſſum, mentum accuminatum & proſtans. Coſtæ planiores latioresque, ſubinde nodoſæ. Claviculæ & ſpina dorſi incurvatæ. Os femoris, tibia & fibula pariter curvantur. Oſſa pelvis naturalem formam amittunt, & pelvis anguſtior redditur, oſſa flexibilia, mollia; vel fragilia admodum. Febricula continua, noctu gravior. Tuſſicula humida. Reſpiratio cita, anguſta, ſtrepens.

pens. Orthopnea tandem, jecur magnum. Glandulæ meſenterii magnæ, infarctæ, convulſiones, apoplexia & mors. Rarus inter adultos morbus eſt, neque contagio afficit, nec, uti videtur, hæreditario quaſi jure ad poſteros tranſit. Fœminæ, qua vero rachitide laborarunt, ſæpe ob pelvis anguſtiam difficulter pariunt. Quidam tabidi fiunt, quidam ampli corporis, & coloris pallidiſſimi.

Cauſſæ ſunt eæ omnes, quæ ſolida reddunt infirma, debiliaque & fluida aquoſa ac mucoſa. Hinc

1) hoc morbo laborant proles a parentibus debilibus, otioſe lauteque viventibus, qui olim lue venerea laborarunt, ab eodem male curati, frequentius ſalivationem paſſi. Item

2) quorum parentes ob paupertatem pravo victu uſi ſunt. Ideo rarior morbus inter mediæ ſortis homines, frequentior inter divites aut pauperiores.

3) Qui nati ſunt parentibus jam ſeniculis.

4) Qui loca paludoſa, depreſſaque incolunt.

5) Qui lacte nutricis ſeniculæ, aut lacte nimis craſſo, aut quacunque ratione depra-

vato, quive cibis craſſis farinaceis, pinguibus enutriti fuerint.

6) Ad hunc morbum diſponunt, febres diuturnæ intermittentes, acidum primarum viarum, nutrix lue venerea ſuppreſſa & palliativis imperfecte curata, ſcrophuloſa, ſcorbutica, aut aliis pravis ſuccis infecta. Cibi ſacharati, acidi, aut facile aceſcentes. A menſe ætatis nono ad initium anni tertii præcipue dominatur.

Cauſſæ proximiores ſunt acidum prædominans. Sanguis ater, mucoſus. Bilis deficiens & iners.

Prognoſis: rachidis incipiens plerumque curatur. Pulmone valde affecto vix medela ſperari poteſt.

Cura fit antacidis & roborantibus. Huc faciunt e. g. ſequentia: Pilulæ ex ſapone veneto, felle bovino inſpiſſato, pulvere radicis ari, item pulvis oſtracodermaton cum rheo; balnea frigida prudenter adhibita, frictiones aromaticæ. Decoctum rubiæ tinctorum a *Cl. Levret* laudatum. Item *Herba brittanica*, ſive *rumex aquaticus. L.*

Prodeſt quoque ſequens:

R. Salis tartari unc. β.

Sol-

Solve in aqua fontan. libr. j. Detur puero rachitico 20 — 100 guttæ bis per diem per 3 — 4 dies, in poculo aquæ.

Interpoſitis totidem diebus denuo eædem guttæ eodem modo propinantur.

2) Si alvus inde non moveretur, tinctura rhei aquoſa adjungi deberet.

3) Poſt paſtum dantur pilulæ ex novem granis offæ helmontianæ, grano uno fellis bubuli inſpiſſati, & radice ari.

4) Præmiſſis his juvat uſum corticis ſubjungere, qui vel in pulvere, vel in forma ſalis eſſentialis optimo cum effectu adhibetur. Corticis vires aquæ ſpadanæ vel ſtœchnizenſes ſubire poſſunt. Quod ſi aquarum iſtarum defectus ſit, aut ea ob ægrotantis pauperiem comparari nequeat, aquæ fontanæ pauxillum ſolutionis vitrioli ferri inſtilletur ea quantitate, quæ requiritur, ut aqua ſpadanæ ſimilis obtineatur. Vel globulus martialis in ſyndone ligatus ſuſpenditur omni mane in libr. β aquæ puræ, donec colorem obtinet eundem, quem Thebohe refert, hæc doſis abſumenda erit tempore antemeridiano. Globulorum autem martialium compoſitio ſecundum diſpenſat. Pariſ. & Wirtenberg. Sequens eſt.

R. Limatur. martis in alcohol tritæ libr. β
Tartari albi pulveriſ. libr. j.
M. Inde cucurbitæ affunde
Spiritus vini libr. β.

Maſſam leni calori expone digere & lente exſicca. Cui dein demum tritæ adde ſpirit. vini eandem quant. digere poſtea & exſicca. Laborem toties repete, donec maſſa quaſi reſinoſa appareat, ex qua globulos forma. In aqua vel ſpiritu vini ſolvuntur, eſtque *mars potabilis Williſii.*

Præterea habitatio ſit ſicca, aër, veſtesque fumo maſtichis luſtrentur. Corpus quantum ætas & vires permittunt, commoveatur. Panno fumis aromaticis imbuto corpus totum fricetur. Incumbat ſtragulis durioribus, abſtineat acidis, farinaceis, theatis, pinguibus & oleoſis, fructibus horæis. Piſces aſſæ, carnes aſſæ, panis biscoctus, vinum abſynth.

Aphthæ.

Veſiculæ albæ, in albam cruſtam degenerantes in ore, faucibus, œſophago &c. infantum oriri ſolitæ, vocantur *aphthæ.*

Di-

Dividuntur in *benignas*, quales ſunt, qui primo in gingivis, labiis, lingua, tonſillis & uvula apparent.

In *malignas*, quæ per œſophagum in ventriculum & inteſtina propagantur.

In *maligniores*, ſi ſimul per aſperam arteriam verſus pulmones proſerpant.

In *maligniſſimas*, ſi omnium primo in primis viis ortæ altius, in os ſcilicet propagentur.

Dividuntur præterea ratione coloris in *albas* & *nigreſcentes*.

Symptomata ſunt: dolores, vigiliæ, febris, difficilis ſuctio. Impedita deglutitio. Vomitus, diarrhœa, ſingultus. Cruſta demum decidente, ſalivatio ſanguine permiſta, tormina, dyſenteria ſanguinea. Si verſus pulmones proſerpunt apthæ, adeſt tuſſis rauca, quaſi ex tubo metallico.

Cauſſæ ſunt: lac pravum, quo infans nutritur, cujus reliquiæ, ſi os infantis non bene eluatur, acres factæ, aphthas producunt dentitio. Præcaventur, ſi os infantis frequenter purgatur infuſo ſalviæ melle edulcorato. Præſentes vero aphthæ ſequenti ratione curantur. Totum os illinitur ſequenti medicamento.

R.

R. Roob diamoron.
Mellis roſati aa. q. v.
Spirit. vitr. q. ſ. ad gratum acorem ut totum os ſæpius per diem inungatur.

Egregium effectum hoc medicamentum ſæpius præſtitit. Quodſi vehementes admodum clamores doloris præſentiam demonſtrant, neceſſum eſt, ut nutrici paregoricum exhibeatur, quo ſumpto per 1/2 horam infanti ubera præbenda ſunt.

Boyle anglus ſequens medicamentum contra aphthas efficaciſſimum invenit.

R. Succi ſempervivi maj.
Mellis roſar. aa. q. v.
Aluminis q. ſ. ut ſaporem modice auſterum acquirat.

Quod ſi cruſta aphthoſa deciderit, inungi loca exulcerati debent mucilagine ſeminis cidon; in aphthis primarum viarum prodeſt decoctum raparum, item decoctum dauci cum melle roſaceo ſæpius per diem exhibitum, vel

R. Semin. lini contuſ. unc. ß.
Coque cum libr. j. aquæ ad conſiſt.
Syrup. colaturæ expreſſæ adde
Mellis roſac. unc. ij.
M.

Quodſi ſi aphthæ decidunt, & per alvum abire incipiant, ſyrup. cichorei cum rheo ad-

adjectis aliquot rhei granis infanti exhibeantur. Si vero aut dolores aut diarrhœa cruenta ſe monſtraret, emulſo ex gummi arabico parata conveniret.

Scabies.

Scabies morbus cutaneus eſt, qui definitione adcurata caret, ſed ex ſymptomatum deſcriptione facile noſcitur. Primo apparent veſiculæ in manibus, præcipue intra digitos, ſero tenui pellucidoque turgentes, & prurientes. Veſiculæ hæ rudiore frictione disruptæ ſerum diffundunt, unde novæ veſiculæ & morbi propagatio. Tandem loco veſiculorum cruſtæ, quin & ulcuſcula cutanea moto corpore oriuntur.

Cauſæ remotæ ſunt, diæta prava, fructus horæi immaturi, carnes ſalitæ, contagium.

Cauſſa proxima. Quidam ſtatuunt inſecta quædam exigua, quæ infra cuticulam ſeſe inſinuunt, ibique nidulantur, & rodendo aut reptando illum pruritum moleſtiſſimum producunt. Inde humorum major affluxus & veſiculæ. Hanc opinionem ſequuntur *Cl. Hauptmann, Bonomo, Schwiebe*, aliique.

que. Alii vero in ſero acri, ſalſo, acidoque cauſſam proximam quærunt.

Proprietates ſcabiei ſunt etiam ſequentes:

1) Contagio afficit ſcabies.

2) Malum immunditia nutritur.

3) Infantes potius, quam adulti, pauperes frequentius, quam divites hoc morbo laborant.

4) Primo fere ſemper in manibus ſcabies erumpit; inde quidam gignimentum, cauſſam proximam in inſectis potius, quam in ſero pravo conſiſtere. Cum in homine ultimo caſu æque in alia corporis parte prima vice oriri poſſet.

5) Præſervat utplurimum a ſcabie lotio manuum veſpertina.

6) Frigore admiſſo vix non diſparet, in calore vero & ſudante corpore denuo redit ſcabies.

7) Pruritus & ſcabies ipſa ceſſat, applicatis medicamentis oleoſis, ſulphure, mercurio, plumbo, allio, radic. helenæ, nicotiana, lixivio ex ſale tartari &c.

8) Facillime recrudeſcit ſcabies, cum æger, etſi curatus fuerit, ſuis tamen propriis veſtimentis ſeſe denuo inficiat.

9) Malum augetur, ſi ægrotus ſeſe fricet.

10) Dominatur maxime in noſocomiis, carceribus, & inter milites arctius concluſos.

11) Facilius æſtate, quam hyeme.

Cura fit ſequentibus modis

1) Sulphure interne & externe adhibito. Exhibeantur interne a duobus granis ad x aut xv grana flores ſulphuris, bis terve per diem. Si infans ſcabie laborat, ſufficit, nutrici hanc doſin florum ſulphuris propinaſſe. His per 8 dies uſurpatis & malo necdum ceſſante, paratur unguentum ex floribus ſulphuris & flore lactis, quo articuli manuum pedumque ſimul mane unguendi ſunt. Etſi ſolo purgantium uſu ſcabies nunquam curata ſit, prodeſt tamen primas vias ante medicamentorum uſum purgante abſtergere.

2) Secunda methodus eſt hæc. Exhibetur decoctum cichorei, lapathi acuti, bardanæ per ſex dies. Die ſeptimo purgans ſalinum. Deinde denuo per 6 dies decoctum, cui purgans altera vice ſubjungitur. His præmiſſis omni mane una quarta pars ſequentis unguenti partibus ſcabioſis inungitur.

R. Sulphuris pulveriſat. unc. j.
Salis ammoniaci dr. j.
Axung. rec. porcin. unc. ij.

M.

M. exacte in mortario lapid. Abſumptum unguentum denuo repetito, attamen ſolummodo omni altero die.

3) Tertia methodus eſt admodum efficax in malo inveterato. Præmiſſo decocto ſuperius deſcripto, interpoſitoque purgantium uſu unguentum mercuriale adhibeatur ſequenti ratione parandum:

R. Mercurii vivi depuratiſſimi unc. j.
Therebinth. venet. dr. β.
Axungiæ rec. porcin. unc. ij.

M. f. ung. Omni mane octava pars inungatur. Sub uſu hujus unguenti cavenda eſt omnis refrigeratio, & regimen leviter diaphoreticum inſtituendum, ne mercurius ad glandulas ſalivales ruat. Unguentum mercuriale efficacius eſt illo quod ex ſulphure paratur. Idque inſuper commodi habet, quod gratus illi odor, e. g. adjecto oleo bergamottæ, vel moſcho conciliari poſſit.

Sub cura frequenter linteamina veſtesque permutandæ ſint. Veſtimenta præterea abſoluta cura fumo ſulphuris luſtranda ſunt, aërique exponenda, ut eventiletur.

4) Quarta methodus adhibenda eſt in malo adhuc graviori, ubi partes ob continuum

pru-

pruritum inſomnes agantur, macies & febris accedit. Hinc datur ab initio

1) purgans lene

2) balnea tepida aquæ dulcis,

3) per quatuordecim dies ſumatur mane & veſperi doſis ſequentis pulveris.

R. Antimonii crudi tenuiſſime pulv.
Nitri puri aa. dr. ij.

Miſce exacte & fiant pulveres no. viij. Sumat mane & veſperi pulverem, ſuperbibendo decoctum bardanæ.

Qui ſenſibiliori ventriculo ſunt, ab hocce pulvere ſubinde gravantur. Nihilominus morbi quidam cutanei inde curantur, qui omnibus aliis remediis rebelles fuere. Egregium eſt diaphoreticum. Tandem ſi morbus necdum cedat, thermæ ſulphureæ curationem abſolvunt. Subinde balneum aquæ frigidæ in fluvio vel balneum aquæ marinæ egregie proſunt. Protractior balneorum tepidorum ex aqua dulci morbum reddit pertinaciſſimum.

Notandum ſummopere denuo eſt, non adhibendum eſſe unguentum cum ſulphure paratum, niſi ſimul interna remedia in auxilium vocentur.

Morbi cutanei a pravis ſuccis maſſam humorum inficientibus, a debilitata coctionis

vir-

virtute, a cruditatibus primarum viarum originem ducunt, hinc evacuantia, ſolventia, ſanguinem purificantia, roborantia, nutrientia indicantur.

DE

DE
METHODO PRÆSCRIBENDI FORMULAS.

Generalia quædam de præſcribendis remediis obſervanda.

I. Remedia ſint, 1. *morbo adæquata.* 2. *facile parabilia.* 3. *ſimplicia.* 4. ætati, idioſyncraſiæ, guſtui, conſuetudini *accomodata.* 5. reliqua victus ratio remediorum vires adjuvet.

ad 1. *dandus potus largus, horis determinatis in acutis. Nitri uſus in inflammationibus, mixturarum uſus in acutis, cortex in intermittentibus juſta doſi dandus: Valeriana.*

ad 2. *Id præcipue ruri eſt obſervandum; qui multis & variis, indiget, artem ignorat. Mens Sydenhami circa remedia.*

ad 3. Error *veterum*, prioris præcipue ſæculi. Mos Hippocratis. Error juniorum, qui cuilibet ſymptomati volunt ſimul mederi. Medicina noſocomiorum &c.

ad

ad 4. Infantibus aquæ & ſyrupi; pueris eadem, virili ætati quæcunque alia forma convenit. Draſtica infantili ætati & puerili non conveniunt e. g. non convenit reſinoſum purgans &c. Quidam acida, alii alia non ferunt.

II. Non in qualibet ægritudine, levi, tranſitoria, oportet remediis uti, ſæpe enim victus ratio ſufficit, quies &c.

III. Neque danda ſunt morbo graviora remedia: e. g. in levi artuum dolore, & tranſitoria levi per vices cephalalgia &c.

IV. Neque in morbis imaginariis: ſunt, qui putent ſe ægros eſſe. Sunt, qui volunt ultra, quam ætas fert, aut vires naturales hominis, edere, bibere. Cura hypochondriacorum.

V. Neque in *inſanabilibus morbis* tentanda ſunt *curativa remedia* eventus dubii, niſi raro, e. g. in indolente ſcirrho ventriculi, lienis; ſtrumis, ſcrophulis &c.

VI. Neque mitiora morbo.

VII. Neque mutanda ſine ratione, neque augenda ſine ratione. Error multorum quotidie mutantium remedia.

VIII. Viliora pretioſis præferenda, domeſtica pharmaceuticis, uſitatiora minus uſitatis, ſi par ceteroquin ſit virtus. Oportet me-

medicinam domeſticam probe callere, maxime ruri, & inter pauperes; exempla videbimus, ubi pharmacopœam pauperum trademus.

IX, Præferenda *grata ingratis*, *probata incertis*. Apud pueros e. g. gratiæ ſtudendum: eſt peculiare ſtudium pharmacopœa puerorum. Exempla, ubi cortex, purgans &c. pueris datur. Difficillime ſumunt ſalina. Extractum corticis cum multo ſyrupo. Hydromel. Folia ſennæ cum paſſulis per modum thee &c.

X. Exoleta exulent penitus. Pulvis C. C. lapis bezoar, raſura cranii humani, mumia; medicina ſtercorea e. g. ſtercus ovillum, caninum. Cataplasma ex fimo equino in tetano, columbæ dilaceratæ per modum cataplasmatis; corium humanum contra arthritidem; ſanguis humanus contra epilepſiam; clavis S. Huberti; aurum fulminans; amuleta e. g. contra febrim, contra icterum &c.

XI. Cavendum ne in leges chemicas peccetur.

XII. *Signis* parce, non niſi vulgatiſſimis utaris. Abbreviationes vita. *Pondera* ferme ſemper ſine ſignis ſcripta ſint. *Manu legibili* ſcribendum. *Signatura* clare addenda. *Dies præſcriptionis*; itemque *nomen medici* adponendum. Horum rationes.

Is varius eſt pro ratione remedii, ætatis, morbi, partisque morboſæ &c. Nunc eſt in pulvere, nunc in electuario, pilulis, infuſo, decoctove remedium datur. Nos hic uſitatiores formas & modos perſequemur. Sit

Pulvis,

1. Pulvis vel *interne* ſumitur, qua pulvis, vel eſt pro *vino medicato*, vel pro *ſacculo* conficiendo, vel pro *cataplaſmate*, vel eſt pro *ſuffimigio*, vel pro *balneo* artificiali, ſeu *thermis artificialibus*, vel pro *dentifriciis*, vel in ſcopum chirurgicum diverſa ratione.

2. Pro pulvere ea omnia quadrant, quæ vel *ſola* vel *cum aliis* in pulverem teri poſſunt ſic cum aliis, olea ſtillatitia, camphora, ſapo venetus, moſchus, caſtoreum; item quædam extracta, quæ in parva doſi efficacia ſunt.

Doſis varia eſt pulverum interne ſumendorum. Raro ſit drachma una, niſi in cortice peruviano; nam drachma foliorum aut florum, aut levioris cujusdam ſubſtantiæ magnam & nimiam molem faceret. Commune eſt ſcrup. j. aut drach. ß. Nunquam intra grana vj. niſi ſit corpus valde leve. Quodſi reme-

medium ſuum, quod pro baſi aſſumitur debitam molem non haberet, addi deberet aliud quid, quod *conſtituens* adpellant; exempla adferam varia *aconiti* ſc. extracti; *mercurii dulcis*, qui vix deberet in pulvere dari; *florum Zinci, Kermes mineralis, ſulphuris aurati tertiæ præcipitationis, tartari emetici, camphoræ, ipecacuanhæ, moſchi, caſtorei, opii.*

4. Pulveris ſubtilitas varia: *ſubtiliſſimus*, ſive *alkohol*: *ſimpliciter pulvis, groſſus. Alkohol* præſtat. Groſſus datur pro *ſuffimigio*. *ſacculis, cataplasmate, vino medicato.*

5. Exempla connubii in pulveribus ſupra dictis. Scilicet aconitum cum magneſia datur. Flores Zinci, Kermes cum lapidibus cancrorum, & ſaccharo; ut & ſulphuris aurati, tartari emetici cum abſorbentibus, aut ſacharo. Camphora irrorata ſpiritu vini, cum ſaccharo, abſorbente. Ipecacuanha cum cremore tartari, arcano duplicato. Moſchus, caſtoreum, opium optime cum abſorbente & ſaccharo teruntur.

6. Pulvis pro *vino medicato* ſit ab unc. j ad unc. ij. Eadem doſis pro *ſuffimigio*. Pro *cataplasmate* majoris partis ad libram Hepar ſulphuris pro thermis *artificialibus* unciæ IV pro una vice.

7. Doſes etiam aliter ſolent determinari; *exacte* ſcilicet, & minus *exacte*.

Exacte in iis, quæ parva doſi ſunt valde efficacia, in paregoricis, mercurialibus purgantibus, emeticis, alterantibus.

Minus exacte, ad cuspidem cultri, ſeu ſcrup. j. cochleare coffeanum, ſeu drachm. j. cochleare majus, ſeu unc. β. in roborantibus, abſorbentibus, ſtomachicis &c.

Decoctum.

Decoctum eſt medicamentum internum, liquidum, ex variis ſpeciebus mediante menſtruo appropriato per coctionem paratum.

Materies excipienda ſunt: 1 vegetabilia, radices, cortices, ligna, herbæ, folia, ſtipites, fructus, ſemina, 2 partes animalium *ſolidæ*: e. g. raſura cornu cervi, eboris &c. *molles*: uti lien vitulinum cum herbis, caro ranarum, teſtudinumque, aut viperarum in acrimonia acida, & inde nata macie; decoctum limacum in tuſſi convulſiva, cum cereviſia paratum *Hænio* amatum. Abſit decoctum pedum vitulinorum, ovillorum, uti ſolent phthiſicis commendari; inde enim mirum gravantur ægri, febrisque accenditur. 3 item quædam ex regno minerali: e. g. deco-

coctum antimonii in petia legati contra luem; decoctum mercurii contra vermes. An hæc decocta ſunt alicujus uſus? quoties idem antimonii aut mercurii? ſed etiam ſalia, utut raro.

Materies excipiens eſt aqua ſimplex, aut deſtillata, ſerum lactis, vinum, acetum, cereviſia. Nihilominus hæc tria ultima nunquam deberent adhiberi pro decoctione, ſed *pro infuſione*, & maxime pro infuſo *frigido*, ut in vinis medicatis.

Proportio ingredientium eſt *utplurimum*, ut unc. j. aut unc. jβ ad libr. j. niſi forte ſit unum alterumve ingrediens, quod aliud poſtulet. Sic *flores arnicæ*, itemque *Salab* ſunt in proportione ad aquam, ut drachm. j. ad libr. j. Subinde ſumitur radicis graminis libra una ad libram unam decocti ſaturatiſſimi.

Quantitas radicum *pondere*; herbarum, foliorum, florum, *manipulis* aut *pugillis*, raro *pondere*, ſeminum vero etiam *pondere* determinatur.

Uncia ad libram j. aut manipuli ij. aut etiam pugilli ij drachma j. aut ij., ſi ſalab aut flores arnicæ accipias.

Aut determinatur quantitas accipiendi liquoris, jubeturque pharmacopœus coquere ad *remanentiam* dimidii, vel libræ jβ. Vel

vero relinquitur arbitrio pharmacopœi, quantum liquoris accipere velit, & determinatur tempus decoctionis per 4. 2. 1. hor. per 1/2. 1/4. 1/8 hor. Colatura libræ j. unc. XIV. D. vel expreſſa D.

Decocti ea ſit quantitas, quæ poſſit per diem integrum abſumi; non autem per duos tresve dies.

Doſis pro una vice ſummendi decocti, eſt ab unciis ij ad unc. IV. ſeu a dimidio vaſculo coffeano ad integrum omni hora, omni bihorio, trihorio.

Ceterum nota adhuc ſequentia in præſcribendis decoctis.

1. Ponantur ingredientia, & ingredientium prævia præparatio, ut 1. *raſura* e. g. C. C. lign. quaſſiæ, ſaſſafras, liquiritiæ &c. aut 2. *pulvis groſſus* e. g. cortex peruvianus groſſo modo contuſus; aut 3. *concuſſio* & *contuſio* e. g. concuſſ. contus. coque &c. aut 4. *maceratio*, ubi e. g. raſura ligni guajaci, aliaque ligna ſ. q. aquæ fervidæ infunduntur & per 8 - 12 24 horas, aut per noctem, per nychtemerum macerantur, dein mane per 1/2 hor. per hor. coquuntur.

2. Determinetur vas, an eo clauſo, vel aperto fieri debeat. Si nil determinetur, aperto fieri debet.

3. *Colatura* detur uſui, vel ſimpliciter facienda, cum *expreſſione*; aut *fortiter* expreſſa, aut prelo *fortiter expreſſa* detur.

4. l. a. Seu lege artis clarificata dentur uſui. Hoc ſubinde additur e. g. in ſero lactis.

5. Decoctis ita paratis ſæpius adduntur alia, potiſſimum *ſyrupi*, *roob*, *ſalia*.

Bochetum appellant decoctum ſecundarium, dum nempe ſpecies a priori decoctione reſiduæ, novis additis denuo decoquuntur, & pro potu dein ordinario adhibentur.

Juſcula ſunt decocta partium animalium, carnis vitulinæ, ſplenis vitulini, ranarum viperarum, limacum, cancrorum, C. C. Eboris. Vocantur & juſcula *reſtaurantia*, Kraftbrühen conſumé.

Ptiſanæ ſunt decocta cerealium cum aut ſine radicibus: e. g. *Ptiſana avenacea*.

Infuſum.

Infuſum eſt medicamentum internum liquidum mediante menſtruo conveniente per infuſionem paratum.

2. Infuſum aut *calide* fit, aut *frigide*. Infuſum herbarum florumque mediante aqua calida factum Thee, aut infuſum *theatum* apellatur.

3. Hæc, uti plurimum, domi parantur. Præſcribantur ſpecies cum ſignatura: *ſpecies pro Thee.*

4. *Infuſo-decoctum* fit, ubi quædam ingredientia decoquuntur, deinde ad finem coctionis adduntur alia, quæ coctionem non ferunt.

5. Infuſum frigidum, ubi aut vino aut cereviſiæ aliqua iis immittuntur extrahenda: ſic vinum medicatum, cereviſia medicata, eſt infuſum frigidum.

6. Nonnunquam ſpecies quædam in linteo collectæ & in vino ſuſpendendæ præſcribuntur, dicunturque *nodulus.* Sic rheum, cortex peruvianus in *nodulo* præſcribitur.

7. Materies infuſorum ſunt eæ omnes herbæ, radices, flores, quorum vis in volatili principio conſiſtit. Quædam *decoqui* & *infundi* poſſunt.

8. Quantitas totius infuſi eſt uti decocti: ſcilicet, in integrum nychtemeron. Doſis unc. ij. ad unc. IV. omni bihorio &c.

9. Infuſum, quod pro una vice totum abſumitur, *Hauſtus* appellatur. Dantur autem hi ſcopo utplurimum purgante. Hauſtus non excedat uncias IV. Sic habetur aqua laxativa viennenſis, item hydromel infantum,

10. *Claretum* appellant infuſum ſubinde & decoctum, colore, odore, ſapore gratum. E. g.

℞. flor. roſar. rubr.
— balauſtriorum aa. manip. j.
infunde ſ. q. a. per 1/4 hor. & Colat.
libr. ij. adde.
Syrup. fl. rhoead. unc. jß.
Spirit. vitriol. q. ſ. ad gratiam.
M.

Vel conſervæ quædam gratæ infunduntur e. g. conſervæ roſar. vitriolatæ.

11. *Julapium*, *Julepus* eſt medicamentum internum, liquidum, pellucidum, colore & odore gratum, reſtaurans, ſitim fallens, ſimplici mixtione paratum, e. g. aqua ſimplex aut deſtillata cum grato ſyrupo commixta.

Hinc ingredientia ſunt: 1 aqua ſimplex, deſtillata, cardiaca, ceraſorum, roris marini, cinnamomi, corticis aurantiorum, totius citri. Vinum acidulum, rhenanum, moſelanum, 2 ſucci dulces, acido-dulces, acidi, recentes, fructuum horæorum, 3 ſyrupi officinales, ſacharum, elæoſacharum.

Uſus eſt pro potu communi, ubi ſitis urget magis; hinc ad libras ij. & plus datur.

Succi expreſſi vegetabiles.

1. Sunt medicamentum internum, liquidum, ex plantis recentibus, foliis, radicibus prelo expreſſum.

2. Materiem ſuppeditant plantæ non quæcunque, ſed ſucculentæ, ſaponaceæ, antiſcorbuticæ. Frequentius adhibentur taraxaci radix, aut cum toto. Item recens radix cichorei; item endivia, portulaca, beccabunga, naſturtium aquaticum & hortenſe, cochlearia, chærophyllum, acetoſa, acetoſella.

3. Verno tempore ſunt præſcribendi hi ſucci; aliis temporibus, maxime hyeme ſubſtituuntur *conſervæ.*

4. Doſis eſt ab unc. iij ad unc. VI. plerumque ad unc. IV.

5. Dantur cum coindicatis ſalibus, ſyrupo, &c.

6. Cautelæ practicæ ſint: 1 debili ventriculo præditis aut *omnino non* dentur, aut non dentur *jejunis*, aut non *pro una* doſi.

7. Modus præſcribendi eſt: ut e. g. accipiatur tantum, quantum ſatis, ut exprimatur ſuccus unc. iij. &c. Cui lege artis depurato adde e. g. ſalis acetoſellæ dr. jβ. ſyrup. rad. v. aper.

7. Subſtitui poſſunt 1. conſervæ, 2. conſervarum infuſa, 3. herbæ recentes, cum ſero lactis leviter coctæ. 3. Eædem herbæ coctæ cum juſculo carnium.

Mixturæ.

1. Mixtura eſt medicamentum internum, *liquidum* ſola variorum miſcela paratum.

2. Datur *mixtura ſimpliciter ſic dicta*, & *concentrata*.

3. Ingredientia, ſeu materies *excipienda*, ſunt. 1. *Sicca* omnia, quæ in *minori doſi* efficacia ſunt, & *facile pulveriſantur*. 2. *mollia* magis minusve ſpiſſa: ſcilicet, electuaria, roob, pulpæ, confectiones molles, ſyrupi, balſama denſiora. 3. liquida contractiora, eſſentiæ, tincturæ, elixiria, balſama liquida, olea ſtillatitia, ſucci.

4. *Materia excipiens* eſt aqua fontana, deſtillata, aut decoctum infuſum.

5. Tota quantitas eſt ab unciis V-VIII. raro ultra.

Proportio ingredientium eſt circiter ſequens. Pulveres, elæoſachara, extracta ab drachma una ad drachmas ij. Syrupi. Roob.

7. Ceterum nota: 1. mixturæ intra 24 horas utplurimum abſumantur. 2. ſæpius dantur

tur in acutis, quam chronicis. 3. pueris, infantibus debilibus, uti in acutis plerumque, *difficulter deglutientibus* mixturæ conveniunt, 4. cave hic potiſſimum ſuperflua, cara. Sic loco aquæ alicujus ſtillatitiæ accipi poteſt aqua ſimplex.

5. Salia miſcent mixturis cum ſpiritu nitri dulci, item ſpiritu vitrioli ad gratiam: at eſt inepta miſcela.

Mixturæ concentratæ veniunt ſub nomine guttularum. Tota quantitas eſt ad unc. ij. Doſis vero 20. 30. 60. 100. guttæ.

Fiunt hæ mixturæ vel e ſolis eſſentiis, tincturisque jam proſtantibus. Vel parantur magiſtraliter ex ſpiritu vini, aut eſſentia quacunque, adjectis, mixtis, ſolutisque dein ſtillatitiis, ſalibus volatilibus, balſamis, reſinis, gummi-reſinis &c. Sic notæ ſunt guttulæ purgantes.

E m u l ſ u m.

Eſt medicamentum internum, liquidum, oleoſo-aqueum, conſiſtentia & colore utcunque lacti ſimile, ex partibus vegetabilium oleo & mucilagine præditorum mediante menſtruo aqueo, & mediante trituratione, & emulgendo paratum; ſcopo refrigerante, demulcente, nutriente.

Men-

Menſtruum eſt aqua ſimplex, deſtillata, decoctum, infuſum.

Materies emulgenda ſunt nuclei, & ſemina, oleo ſcilicet & mucilagine prædita.

Acceſſoria ſunt, aut ſaccharum, aut ſyrupus non coloratus, uti eſt altheæ, papaveris albi, diacodii, nitrum, magneſia; alia autem ſalia vix addi ſolent.

Doſis nucleorum &c. eſt ab unc. β. ad unc. j. ad libr. j. Non paretur in alterum diem, & in æſtate paretur ſolum in dimidium diem.

Electuarium.

1. Eſt medicamentum internum, aut ſpisſum, aut melleæ conſiſtentiæ, variis ingredientibus ſyrupo exceptis compoſitum.

2. Solet ſemper addi, qua conſiſtentia esſe debeat ſc. fiat *electuarium molle*, aut fiat *electuarium craſſum.*

3. Subinde eſt *conditum*, ſubinde opiatum, ſubinde theriaca appellatur, prout aut condita, aut theriacæ major quantitas ingreditur.

4. Tota quantitas ſolet eſſe ab unciis ij. ad unc. IV.

5. Doſis: cochleare coffeanum, cochleare majus, magnitudo fabæ, nucis avellanæ, moſchatæ, juglandis. Omni bihorio; trihorio, aut bis, ter, quaterve per diem.

6. Materies excipienda eſt pulvis omnis, extractum, conditura, pulpa, conſerva, roob, balſama, ſyrupi, olea, tincturæ, eſſentia, elixirium. Syrupi addendi quantitas pro requiſita conſiſtentia pharmacopæo relinquitur.

7. Quandonam præſtat hæc forma uti? remedia tonica, nervina, emmenagoga, antifebrilia, anthelmintica &c. ſæpius hac forma dantur.

Bolus.

1. Electuarium craſſum, quod totum una vice ſumitur, *Bolus* audit. Tota ejus quantitas ſit a dr. β. ad dr. j. ad ſummum ad drachmam jβ.

2. Boli parantur ex iisdem ac electuaria.

3. Datur in *bolo* opium, purgans; item quidquid per ſe ſumptum acre & rodens eſt, aut nauſeoſum valde, & quidquid deglutitum fauces valde offendit delicatis; præterea ea, quæ ſemel aut bis ſolum de die aſſumi debent.

4. Infantibus, pueris, item febrientibus debilibus, boli non poſſunt dari.

Ele-

Elegma, *Linctus*, *Looch*.

1. Eſt electuarium molle, paulo ſpiſſius, quam ſit ſyrupus; potiſſimum *doſi arbitraria*, aut per parva cochlearia vario tempore ſumendum, ore detinendum, ſenſim deglutiendo, in morbis oris, faucium, œſophagi. Pectori linctus non proſunt, ſed horum loco vapores.

2. Mollia, mucilaginoſa, oleoſa, mellita, ſaccharata intus ſint; pulveres indiſſolubiles non inſint.

Conditum. *Confectio*. *Conſerva*.

1. Huc, ad electuaria ſcilicet, revocari poſſunt *condita*, *confectiones*, *conſervæ*.

2. *Conditum* apellant vegetabile quodcunque molle, aut ſaccharo conditum, ſive mollis, ſive duræ, ſiccæque conſiſtentiæ: idque in genere. At peculiariter *conditum* appellantur *radices* & *cortices* conditi.

3. *Confectio* audit, ſi e baccis aut fructibus paretur. *Conſerva* ſi e floribus aut foliis.

Elæoſaccharum.

Eſt ſaccharum, quo aliquot guttæ olei cujusdam aromatici exceptæ ſunt. Sic veniunt

niunt guttæ ij olei deſtillati ad drachmam unam ſacchari. Modus præſcribendi eſt: Elæoſacchari e. g. menthæ drachm. j. dr. jβ.

Pilulæ.

1. Etiam catapotia a deglutiendo dicuntur. Sunt medicamentum internum, ſolidum, in globulos, ciceris magnitudine circiter, redactum.

2. Dantur ſcopo purgante, aperiente, emenagogo, reſolvente & alterante, roborante & nervino, paregorico.

3. Inſerviunt pilulari formæ ea omnia, quæ ad dictos ſcopos faciunt, in parva doſi efficacia ſunt, & effingendis pilulis opportuna. Salia non facile miſceantur; niſi volatilia: ſal Benzoes, ſeu flores Benzoes, ſal ſuccini; C. C. &c.

4. Pilulæ ſcopo emetico non bene dantur: neque omnino infantibus, pueris. Sunt qui nullas pilulas poſſunt deglutire.

5. Pilulæ fiunt ex maſſis pilularibus officinalibus, uti eſt maſſa pilularum becherianarum, Ruffi, de ſtyrace, &c.

6. Sapones, gummi-reſinæ, reſinæ, extracta ſolida in minori doſi efficacia (extractum graminis vix debet in forma pilulari dari)

ri) ſucci inſpiſſati, ſuccus catechu. Pulveres in parva doſi efficaces. Mercurialia, fœtida, amara &c.

7. Excipiens, ſeu ligans, eſt ſyrupus, mel, balſamum, therebinthina, eſſentiæ, tincturæ, ſpiritus vini, mucilago.

8. Quantitas unius pilulæ ſit a grano dimidio ad iij, raro ad IV. Habet *Boerhaavius* etiam ad v.

9. Doſis eſt ab una ad ſex, raro ultra.

10. Pilulæ nec auro nec argento ſunt obducendæ.

11. Duriſſimæ quandoque per alvum ſecedunt, non ſolutæ.

Trochiſci, Rotulæ.

1. Seu *Paſtilli* ſunt medicamentum ſolidum, orbiculare, non globoſum, utplurimum ſtella ſignatum.

2. Præſcribuntur in morbis oris, faucium, œſophagi; in tuſſi gutturali. Hinc & *trochiſci bechici*, ſeu contra tuſſim adpellantur, 2. ad corrigendum oris fœtorem & pravum halitum in ſcorbuticis, phthiſicis, venereis, mercurialia utentibus, dentes carioſos habentibus. 3. pueris ſcopo purgante, anthelminti-

co,

co, 4. pro ſuffimigiis, 5. ſcopo ſtomachico, carminante.

3. Excipiens ſeu ligans eſt mucilago varia, ſyrupi, balſama, aqua ſimplex vel deſtillata.

4. Quantitas rotulæ ſit a granis iij ad drachmam β.

5. Tota quantitas ad uncias ij. IV ſe extendat.

6. Peculiariter *rotulæ* vocantur, ſi excipiens materies ſit ſaccharum adpropriata aqua ad juſtam tabularum conſiſtentiam coctum.

Morſuli.

1. Sunt medicamentum internum, ſiccum, utplurimum figuræ quadratæ, ex variis ingredientibus, ſaccharo ſoluto coctoque exceptis compoſitum. Vocatur etiam a quibusdam *electuarium ſiccum.*

2. Doſis eſt a ſcrupulo j ad drachm. j.

3. Proprietates ſunt: fragilitas, gratus ſapor, odorque, & facilis in ore deliqueſcentia.

4. Delicatis, pueris, dantur ſcopo carminante, roborante, antiſyphilitico, antiſcorbutico, antirachitico &c.

RE-

REMEDIA EXTERNA.

1. Sunt, quæ externe adplicantur per modum *balnei*, *emplaſtri*, *unguenti*, *cataplasmatis*, *cosmetici*; item huc pertinent *cucuphæ*, *ſternutatoria*, *gargarismata*, *collyria*, *dentifricia*, *aſpergines*, *pulveres fumales*, *lotiones*, *enemata* &c.

2. De ſingulis hic ſermonem faciam: 1. de *Balneis*.

3. Balnea dividuntur in calida, frigida; ſimplicia, ſeu aquæ dulcis; mineralia, ſeu artificialia illa ſint, ſeu naturalia, ſcilicet thermæ. In balnea vinoſa, aut quacunque alia ratione medicata reddita, ſcilicet *lacte*, *ſublimato* &c. In balneum vaporoſum (Dampfbad); in embrochen, embrocationem, aqua ſcilicet guttatim ex alto cadente, ſimplici, calida, frigida, medicata. In balnea ex arena, cineribus, ſale marino, ſedimento thermali, terra &c.

4. Balneum *calidum*, ſemicupium, aut inſeſſus ſubinde audit, 1 fit ex ſimplici aqua calefacta, eaque fluviali & molli, 2 nonnunquam duodecima pars lactis apud ditiores additur, 3 nonnunquam faſciculus unus alterve herbarum emollientium incoquitur, ſacco linteo incluſus.

5. Balnea non ſint nimis calida, febrim enim excitant ſolo calore, niſi hanc velis ſtudio excitare. Non adhibeatur crudis, plethoricis, fluorem ſanguineum præternaturalem patientibus, neque febrientibus; non pluries per diem, aut nimis diu inſideant. Hinc ſtatim poſt prandium balneum nocet; veſperi & mane adhibeatur. Non omni venæ ſectio aut purgatio præmitti debet *ſcopo præparatorio.* Non contraindicat fluxus catameniorum.

Balnea pedum & crurum veſpertina, cephalalgiam plethoricam non tollunt, ſed augent, & noctem reddunt inquietam. Balnea cephalalgiam nervoſam æque parum levant.

Proſunt grate tepida, ſcopo emolliente, in artuum rigiditate, in inflammatione alicujus partis. In enteritide, hernia incarcerata, maximi ſunt uſus.

De thermis earumque uſu legendus *Zückert.*

Thermæ ſulphureæ, quales ſunt noſtræ Badenſes, ſub certis conditionibus proſunt. Nota autem ſequentia: 1 mos introduxit, ut per 2, 3, 4 ſeptimanas quotidie, aut mane aut veſperi thermis inſideant, 2 in arthritide vaga, contractura, artuum rigiditate reſidua poſt arthritidem; in leucophlegmatia, inde orta menſium ſuppreſſione. Univerſim, ubicun-

cunque attenuandum, movendum, alterandum, referandum eſt, & ubi excitata artificiali & temporaria febricula opus eſt. Inde determinabis quoque, ubi thermæ non conveniant, 3 in morbis cutaneis, herpete, ſcabie ſæpe proſunt. Vidi non profuiſſe thermas, profuiſſe autem balneum frigidum, 4 balnea verna & æſtiva meliora autumnalibus, hæc vero meliora hyemalibus.

Balnea frigida.

1. Commoda balneorum frigidorum ſunt ferme innumera, & certa. Balneum frigidum optimum tonicum eſt, ubi reliqua tonica non proſunt, aut etiam nocent. Hinc poſt hæmorrhagias exantlatas, contra abortiendi conſuetudinem, menſibus ſuppreſſis, morbo hyſterico & hypochondriaco ſine materie, nimia irritabilitate undecunque orta, artuum doloribus inveteratis, proclivitate in defluxiones, rachitide, debilitate nativa contra catarrhos non inflammatorios, teſte Cl. de *Moneta*, ſed ſeroſos mere aut bilioſos.

2. Aqua frigida glacialis in contuſione mox applicata valde prodeſt, ſugillationem & extravaſationem prohibendo, uti videre eſt in pueris, quibus in terram delapſis &

contuſis ferrum frigidum admovent: id facit aqua frigida.

3. Aqua frigida in contuſionibus capitis, & in commotione cerebri. Fit enim in parte commota & contuſa relaxatio, debilitas, & major illuc affluxus, quem aqua frigida mature applicata oportet prohibere. Prodeſt in quacunque capitis contuſione, cum & ſine vulnere, cum & ſine fractura cranii, item ſeu trepanon fuerit neceſſarium poſtea, ſeu non fuerit, præſente etiam ſopore, paralyſi, apoplexia.

Diverſo modo applicantur hæc fomenta frigida *Schmuckeri.* Optime autem, ſi pannus ſale ammoniaco nitroque imbutus capiti adponatur, & dein aqua frigidiſſima irroretur. Plus enim frigoris eſt in actuali horum ſalium ſolutione. Simul autem venæ ſectiones & alvi ductiones indicantur. In phrenitide bilioſa, putrida, orgaſtica, in mania a vigiliis, ſpirituoſis &c. eadem proſunt.

4. Aquæ frigidæ uſus externus vario modo fit, 1 *frictio* & *ablutio*, a qua fere incipiendum, in delicatis maxime, in infantibus pueriſque, 2 inſeſſus, ubi abluto perfrictoque prius corpore aquæ frigidæ quis inſidet per 1/8 per 1/4 horam & diutius. Aeger ſeſe tantum moveat, quantum requiritur ut vim frigo-

goris vix ſentiat. Veteres enim laudarunt *natationes* in aqua frigida. ſeu *motum exercitum* in aqua frigida, 3 immerſio una & pluribus vicibus peracta (Stürzbad). Facilius ita toleratur frigus aquæ; itemque hoc balneandi genus conjungitur cum exercitio corporis, 4 mediante machina, ex qua aqua depluit: difficulter fertur, vertici capitis ingratiſſimum.

5. Balneent jejuno ventriculo; non plethorici, non hæmoptoici, non ſudantes; at commoveant ſe poſt balneum.

De reliquo aquæ frigidæ uſu.

6. Uſus aquæ frigidæ glacialis in febribus bilioſis eximius eſt; plerumque vomunt, dejiciuntque inde, demum potenter ſudant. Præcavet præterea hic uſus aquæ frigidæ tranſitum horum febrium in putridas. Eodem fere modo prodeſt aqua frigida in putridis, ſaburralibus æque ac non ſaburralibus.

7. *In nimia irritabilitate* a potibus ſpirituoſis, ſtudiis, venere, onania &c. Sæpe omnia reliqua tonica nil profunt: prodeſt autem frigidæ potæ, gelatinæ frigidæ (Gefrohrnes) uſus quotidianus, matutinus & veſpertinus; morbo hypochondriaco & hyſterico

ſine

ſine materie; contra proclivitatem in abortus, catarrhos, rheumatismos, in mania a keneangea, irritabilitate nimia, ab inſolatione. Enemata ex aqua frigida in hæmorrhoidibus internis, cephalalgia, vertigine &c.

8. Modus quo *frigida* prodeſt, & roborando, conſtringendo, & aucto fibrarum robore, impacta ſolvendo. Nam moles & volumen corporis minuitur, obeſi & laxi ad ſalubrem maciem reducuntur. Poſt balneum ſtatim alacritas, ſeſe movendi facilitas major, & caloris aucti ſenſus percipitur.

Melius & ſecurius remedium non datur, quam balneum frigidum, in obeſitate.

In vomitu hyſterico prodeſt frigida externe & interne.

Balneum vaporoſum.
(Dampfbad.)

1. Plus præſtat vapor aquæ, quam aqua ſimplex in vapores non reſoluta.

2. Hinc proſunt balnea vaporoſa, 1 in articulationum rigiditate, immobilitate poſt febrem rheumaticam, ſpontanea decurtatione tendinum, poſt immobilitatem ex longa quiete, 2 in tumoribus glandularum alias irreſolubilium; tumore mammarum a congeſto

la-

cte; mammarum in capacitate ſecernendi excernendique lac. 3 in inflammationibus faucium, aſperæ arteriæ, pulmonum, ſive in angina pectoris, 4 in exoſtoſibus.

3. Parantur: 1 ex aqua ſimplici, ſcopo emollienti, ita ut ad partem certam vapor admittatur vel methodo *Marcardiana* per peculiarem machinam. Vel vero parantur ſcopo reſolvente, ex aqua & aceto, vel ex aqua & herbis, non emollientibus, ſed aromate volatili gaudentibus; vel vero ex aqua, adjecto per vices ſale ammoniaco & calce viva, vel adjecto ſpiritu ſalis ammoniaci; vel ex aqua, aceto, & ſpiritu ſalis ammoniaci.

Hinc adhibentur vel ſcopo emolliente, vel *reſolvente*; item potenter *diaphoretico* ac *ſudorifero*.

Embroche.

1. Dicitur tunc, ubi aqua ex certa altitudine guttatim decidit in partem adfectam.

2. Altitudo unius, duarum, trium, quatuor ſit contignationum.

3) Per 1/2 aut integram horam guttæ ſtillent, ſemel, bisve per diem.

4. Materies balneorum eſt aqua ſimplex, thermalis, medicata per artem reddita; calida; frigida; oleum: prout eſt diverſus ſcopus.

5. Hinc ſcopo emolliente aqua ſimplex, aut oleum adhibeatur tepide; ſcopo diſcutiente & reſolvente vero thermalis, aut medicata facta; roborante vero frigida.

6. Prodeſt ergo in artuum rigiditate ex vulnere, contuſione, decubitu longo, lympha inſpiſſata rheumate. Poſt apoplexias manente paralyſi frigida embroche; item in maniacis quibusdam ad caput.

7. Medicata redditur, vel ſi ſolvantur globuli martiales in aqua; vel hepar ſulphuris; vel addatur ſal amoniacum, vel ejus ſpiritus, vel ſolvitur ſapo venetus, vel incoquuntur herbæ aromaticæ.

8. Præparantur partes irrigandæ inunctione emolliente, reſolvente &c. e. g. oleo olivarum, ſi vis emollire; vel unguento ex ſpiritu ſalis ammoniaci & oleo olivarum, vel unguento ex oleo quodam æthereo & ſpiritu ſalis ammoniaci; vel ſolo ſpiritu therebinthinæ.

9. Idem & ante, & ſub, & poſt embrochen fit.

Balnea artificialia.

Fiunt diverſo modo : 1. ſi chalybs extinquatur, ſumatur aqua fabrorum ferrariorum 2. adjecto ſulphure, & calce viva, ſeu *balneum de Sorbait*, 3. adjecto hepate ſulphuris, quod tenuiter pulveriſatum cum aliquot menſuris aquæ calidæ miſtum affunditur in vas magnum. Sumuntur unciæ IV. Libr. ß pro uno balneo. Caro pretio eſt, 4. herbis aromaticis incoctis, infuſisque, quod utiliter fieri poteſt, 5. herbis emollientibus, lacte, quod inutiliter.

Sedimentum thermale ſubinde adhibetur per modum balnei. Antiquus mos, ut eſt apud *Plinium* jam, horum balneorum. Sedimento thermali partes adfectæ illiniuntur, deinde ſoli expoſitæ ſiccefcunt, 3. ſedimentum hoc varium eſt; pingue ſubinde & argilloſum; ſubinde *martiale*; ſed quæcunque ejus natura, ſemper agit diſcutiendo & roborando. Siccatum enim ope ſolis hoc ſedimentum thermale, ſubjectas partes ſtringit, diſcutit humores noxios, aut imbibit attrahendo. Hinc hydropicis, leucophlegmaticis: crura varicoſa, ulcere fœdo manantia habentibus prodeſt, 4. modus adhibendi eſt, ut frigide applicetur, donec ſiccatum abluatur.

Balneum arenæ, cinerum calidorum, ſalis marini in cruribus œdematoſis; ubi cetera ſana ſunt.

Balneum terræ: juvat forte grato & ſolo frigore humidiuſculo; depredicatur a *Solano*. Vices aliquo modo ſubire poteſt balnei frigidi. Balneum aëreum *Franklini*.

Balneum vinaceorum. Balneum fœcum vini. Balneum mercuriale.

Balneum fimi, ſeu commoratio in ſtabulo inter fimeta. Fimus equinus in tetano maxillæ. Fimus vaccinus pro cataplasmate.

E n e m a.

1. Quidquid per anum immittitur forma liquoris, fumi, aut vaporis, audit *enema* vel *clyſter*.

2. Enemata injiciuntur vario ſcopo: eccoprotico, purgante, emolliente, nutriente, carminante & anodyno, anthelmintico, antifebrili, excitante; item in morbis inteſtini recti, ſcopo vario chirurgico.

3. Scopo eccoprotico injiciuntur ſolutiones aquoſæ mannæ, mellis communis aut mercurialis, ſacchari Thomæi, ſalis communis, amari, nitri, cum aut ſine oleo quocunque. Sumitur decoctum hordei, ſpecierum emol-

emollientium, furfurum. Sint ſumme parabilia, ex juſculo carnium ſalito, aqua tepida ſalita.

Quantitas in adulto libram unam non excedat.

4. Scopo purgante addi poſſunt ſalia media majori doſi; item *electuarium hieræ picræ*, diacatholicon, confectio Hamech ad drachmas iij unc. β. Item ſolvi poſſunt maſſæ purgantes officinales quadrupla doſi; item ſolutio tartari emetici ad grana VI — X.

In pertinaciori obſtructione alvina, ſubinde in herniis incarceratis, ſumma tamen cautela, adhiberi poſſunt. Potius proſunt in obſtructione ſtercorea & duris ſcybalis. Quid de fumo nicotianæ in hernia incarcerata? in apparenter mortuis? De modo applicandi.

5. Scopo emolliente: juſculum carnium, infuſum, oleum ipſum varium, emulſum, decoctum altheæ, mucilagines ſeminum cydoniorum, gummi arabici ſolutionem.

Quantitas ſit Libra β. frequenter, omni ſcilicet bihorio injicitur.

6. Scopo nutriente ſerviunt ſola inſulſa juſcula carnium; non autem lac, ob multas, quas relinquit fœces. Item vitellus ovi in eodem juſculo. Adhibetur ablata diutius deglu-

glutitione in appoplecticis, anginoſis, ſcirrho œſophagi, ventriculi &c.

Quantitas eſt libra β omni bihorio.

7. Carminante & anodyno. Infuſum florum chamomillæ, juſculum carnium cum floribus chamomillæ; ſolutio theriacæ Andromachi; item tinctura thebaica, ſeu laudanum liquidum Sydenhami.

8. Anthelmintico: ubi quadrupla anthelmintica doſis injicitur: e. g. decoctum nicotianæ valet potius in aſcaridibus, quam aliis vermibus. Nicotianæ clyſter vomitum ſæpius excitat. Infuſum oleoſum nicotianæ contra aſcarides.

9. Antifebrile, ubi decoctum corticis injicitur, quando & qua doſi?

10. Omni ætati clysmata conveniunt: recens natis valde proficua ſunt: univerſim ætati infantili, puerilique proſunt, cum eorum morbi ſedem plerumque habeant in abdomine.

11. Quantitas ſit *ætati*, deinde *ſcopo* accomodata. Quæ retineri diu debent, libram β non excedant.

12. Situs corporis in *latus dextrum* ſit, ſi enema injicitur.

13. Enemata vomitorio præmittantur, ſi alvus ſit ſuppreſſa; neque antea licet emeticum exhibere, quam ſit alvus reſerata.

14. Enemata emollientia in hernia incarcerata præſtant omni alteri remedio : pauca ſint quæ ore aſſumuntur.

15. Enemata frigida in prolapſu recti; hæmorrhoidibus internis a nimia vaſorum hæmorrhoidalium laxitate; in nimia irritabilitate & hypochondriaſi nervoſa.

Epithema.

1. Eſt in genere, quidquid externe apponitur, titulo fomenti, cataplasmatis, emplaſtri, unguenti, &c.

2. *Fomentum* eſt medicamentum externum, nunc ſiccum, nunc humidum, fovendæ certæ parti dicatum.

3. *Sacculi* ſunt fomentum ſiccum calide applicatum farinis e. g. fabarum; floribus roſarum, ſambuci &c. ſale, cineribus conſtant. Subinde camphora perfricantur. Huc pertinent.

4. *Cucuphæ:* ſunt fomenta capitis ſicca ex herbis & floribus aromaticis, e. g. rore marino, maro vero, ſalvia &c. confecta. Sic habentur

5. Pulvinaria calida, lectuli medicati pro rachiticis, hydropicis, infantibus.

6. Fomentum humidum eſt liquor calidus, emolliens aut diſcutiens panno laneo (Flanell) vel linteo quadruplicato, vel ſpongia, vel veſica exceptus.

7. Materiem ſuppeditat fomento aqua calida ſimplex, lac calidum, lac ſaponatum, decoctum ſpecierum emollientium, fœces vini; muria ſalis marini, ſalis ammoniaci, oleum; vinum aut ſolum aut aquæ miſtum; oxycratum.

8. Fomentum vaporoſum, ſi aquæ calentis vapor admittitur ad partem affectam; eſt emollientiſſimum hoc. Solius aquæ vapor ſufficit.

Cataplasma.

1. Eſt fomentum, ſeu epithema molle, pultiforme, vario ſcopo externis partibus adplicandum.

2. Fiunt ex herbis, radicibus, floribus, farinis e. g. ſemine lini, fabarum; mica panis, vario liquore, aqua, lacte, lixivio, aceto &c. coquendis.

3. Adhibentur ſcopo *emolliente* in inflammationibus benigne reſolvendis. *Maturante*: ubi incipit pars inflammata in ſuppurationem abire. *Diſcutiente*: in inflammatione jam fracta,

cta, ſed laxitate vaſorum, & rubore adhuc perſtante.

4. Frequentior uſus eſt 1. in inflammationibus pectoris, pleuræ, & pulmonum 2. in hepatitide. 3 enteritide &c. 4. in hernia incarcerata ad totum abdomen.

5. Cautelæ & errores: non ſint nimis calida, non ſint ſicca aut ſubſicca; non interruptim adplicentur, ſed vices aſſidui balnei ſubeant. Modus adplicandi.

6. Melius in pulverem groſſum omnia contunduntur.

Epiſpaſticum.

1. Eſt ſpecies cataplasmatis ex ſtimulantibus & attrahentibus paratum, eſtque

2. Sinapismus, ſi farina ſeminis ſinapi ingrediatur, idque fit inflammando

3. Rubefaciens.

4. Uſus eſt 1. vi vitæ languida, ſcopo excitante, 2. attrahente materiem morbi erraticam. Male in omni febre, omni dolore capitis adplicantur. Pejus veſicantia. Veſicantium vis, noxæ & emolumenta.

5. Locus adplicandi non bonus ad plantas pedum, melior ad ſuras, femora &c.

6. Fermentum panis cum ſale marino & farina ſeminum ſinapi ſubactum aceto, optima dat epispaſtica.

7. Tenui ſyndone, vel adhuc melius rude ad partem applicantur. Lacte poteſt ea pars deinde ablui.

Frontale.

Audit epithema ad frontem ex refrigerantibus & actu frigidis adplicatum. Prodeſt in febribus bilioſis, ardentibus, putridis, ubi ingens cephalalgia adeſt, & delirium inſtat.

Fiunt ex placenta roſarum, aceto roſarum vel ſambucino irrorata. Ex mica panis aceto & ſale adjecto. Melius fieret, ſi linteum, cui nitrum eſſet, aut ſal ammoniacum inſperſum, adplicaretur, & dein frigida madefieret.

Optima frontalia eſſent fomenta frigida capitis *Schmuckeriana* & *Thediana* methodo.

Collyrium.

1. Eſt remedium variis oculorum morbis ſanandis applicandum.

2. Forma pariter varia eſt: 1. liquor inſtillandus, uti ſunt variæ aquæ ophthalmicæ.

cæ. Ingens numerus earum eſt in quavis domo. Pleræque nocent, ſunt enim rodentes, acres, hinc in inflammationibus nocent. Non contineant pulveres, niſi ſolubiles; alias vi mechanica vellicant, tamquam pulviſculi, niſi hoc ipſum velis. Inſtillentur in dorſum cubantibus, in eoque ſitu diutius maneant. 2. *liquor* pro lotione e. g. poſt inflammationem, parte adhuc laxa convenit lotio tonica ex ſolutione ſacchari ſaturni.

3. Balneum oculi, emolliens, diſcutiens, roborans, tepidum frigidum.

4. Inunctio, ubi pauxillum unguenti ponitur ad canthum internum oculi e. g. ad tollendas maculas; ubi unguentum, ſi id acrius doleat, poſt 1/4 horam tepido lacte eluitur. Tale eſt unguentum ex mercurio præcipitato rubro & butyro inſulſo.

5. Balneum oculi vaporoſum.

6. Cataplasmata emollientia, diſcutientia: quale e. g. paratur ex mica panis albi, pulpa pomorum acido-dulcium, floribus ſambuci &c.

7. Pulveres ophthalmici inſufflandi, qui lævigatiſſimi ſint, & aut ſolo ſuo mechanico ſtimulo, aut levi acredine oculum modice ſollicitant, effluxum humorum efficiunt, impacta ſolvunt, maculasque inde natas tollunt.

Errhinum.

Seu Pterinum eſt, quod vel pulveris vel liquoris forma in nares attractum ſternutationem movet, & mucum prolicit. Fiunt ex herbarum valde odoriferarum pulveribus tenuiſſimis e. g. ex pulvere foliorum majoranæ, roris marini, mari ſyriaci &c.

SYNOPSIS.

EPILEPSIA.

Epilepſia proprie ad convulſiones pertinet.
Differentia ab convulſionibus.
Definitio.
Cauſſa proxima.
Diviſio in
  epilepſiam idiopathicam
    ſympathicam
    hæreditariam
    congenitam
    acquiſitam.
Antiepileptica, niſi cauſis reſpondeant, vana ſunt.
Claſſificatio ratione cauſſarum in
  1) epilepſiam hæreditariam ſ. connatam
    Cauſſa in peculiari fabrica ſolidorum.
    Primarium levamen petendum ab accurata obſervatione *juvantium* & *nocentium.*
  2) Epilepſia a cauſſis in capite hærentibus.

1) Læſiones capitis

2) Partium oſſearum male conformationes & morbi.

3) Partium membranoſarum indurationes & eroſiones.

4) Inflammatio meningum, cerebri ejusque ſequelæ.

5) Repletio nimia ſinuum, vaſorumque venoſarum meningibus & cerebro propriorum &c.

3) Epilepſia ab evacuationibus conſuetis retentis & ſuppreſſis.

Cura conſiſtit in revocandis ſuppreſſis.

4) Epilepſia a violenta ſyſtematis nervoſi commotione.

5) Epilepſia a ſtimulo immateriali.

Cura. Princeps remedium eſt opium.

6) Epilepſia a fabricæ teneritudine & laxa elementorum compage.

Cura. Cortex peruvian. Aqua ſpadana aliaque martialia.

7) Epilepſia a cauſſa in externis corporis partibus hærente.

Cura. Ligaturæ ſupra locum affectum applicatæ &c.

artificialis exulceratio,
profunda ſcarificatio,
tempore paroxysmi applicatio excitantium.

Vi-

Vitanda ſunt:

Genus nervoſum irritatum commoventia & orgaſtica.

MANIA, — C

Definitio

Symptomata

Cauſſa proxima

Cauſſæ remotæ

Hæreditas

Temperamentum

Vitia capitis

Ventriculi cerebri abnormes

Vitiatus plexus choroideus

Hydatibus obſeſſio.

Cura

Remediis phyſicis & moralibus.

Mania reconvaleſcentium Sydenhamo notata,

— poſt nimias evacuationes.

Diviſio in

1) idiopathicam & ſympathicam

2) ſecundum mali intenſionem

3) in lycanthropiam

4) cynanthropiam

5) buſanthropiam

6) morbum Dæmoniacum ſ. cacodæmoniam.

7) morbum lunaticum.

Explicatio 1) ſagarum
2) obſeſſorum
3) hiſtoriæ regis *Nabucodonoſoris.*
4) regis *Sauli*
5) medendi rationum morbos depravatæ immaginationis ceremoniis, magno apparatu &c.

CATALEPSIS ſeu CATECHUS.

Deſcriptio
Cauſſa remota
Prognoſis
Cura
in paroxysmo
extra paroxysmum.

OPHTHALMIA.

Definitio
Diviſio in
1) externam & internam leviorem
2) xerophthalmiam ſ. ophthalmiam ſiccam
3) ophthalmiam humidam
4) idiopathicam
5) deuteropathicam ſ. etiam ſymptomaticam.
Cura ophthalmiæ ſiccæ
antiphlogiſtica

emol-

emollientia
derivantia.

Cura ophthalmiæ ſeroſæ
antiphlogiſtica
derivantia
evacuantia &
vaſcula oculorum debilitata externe interneque roborantium uſus.

Cura ophthalmiæ venereæ
mercurius interne datus & externe collyrio applicatus.

Cura ophthalmiæ periodicæ
cortex.

Obſervanda in curandis ophthalmiis ratione
1) repercutientium uſus
2) imminentis a neglecta ophthalmia periculi.
3) Collyriorum uſus.

ANGINA. —— 18.

Definitio
Diviſio in
mere topicam
ſymptomaticam
inflammatoriam
ſuppuratoriam
gangrænoſam

ſcirrhoſam
morbum ſtrangulatorium
pituitoſam
rheumaticam
catarrhalem
ſeroſam
febris bilioſæ ſymptomaticam
eryſipelatoſam
morbilloſam
varioloſam
ſcarlatinoſam
urticatam
petechialem,
miliarem
gangrænam vere malignām
veneream
ſcorbuticam
aphthoſam
mercurialem
ſpuriam impedita deglutitione ab pa-
rotide
convulſivam
hyſtericam
hypochondriacam
paralyticam
cynanche
ſynanche
paracynanche

in-

internam aſperæ arteriæ ſuperficiem
afficiens
ſtrangulatoriam.

ODONTALGIA. — 47.

Diviſio a cauſis
1) a carie dentium vel inflammatione nervuli vel
2) membranæ dentis radicem ambientis
3) a depoſitione materiæ ſeroſæ.
Cura

PALPITATIO CORDIS. — 49.

Definitio
Cauſæ hærent
in partibus ſolidis ipſius cordis
in fluidis
in nervorum mobilitate & conſenſu
Cura.

TUSSIS. — 52.

Definitio
Cauſſa proxima
remotæ
Diviſio in idiopathicam
Tuſſis ab inſpiratis irritantibus

a peregrinis corporibus inter ſedendum rimam glottidis ſubeuntibus.

a muco viſcido hærente in lacunis membranæ aſperam arteriam intus veſtientia,

vel thrombo, aut calculoſa materia in ventriculis laryngis hoſpitante,

a tumoribus varii generis cavum tracheæ occupantibus

Diviſio

catarrhalis ſeu catarrhus
pectoralis humida, habitualis
epidemica
cachectica
arthritica
rheumatica
eryſipelatoſa
varioloſa
morbilloſa

ab aqua hydropis calidi

a pure & ichore humoribus inhærente

phthiſica
habitualis cachectica
hypochondriaca
Convulſiva

Cura.

ASTH-

ASTHMA. — 78.

Cauſſa proxima aut definitio
pulmones opplens & obſtruens
cellulas bronchiales conſtringens.
Cauſæ pulmonem mole externa comprimentes.
Vitia nervorum
Aſthma humidum
ſiccum
convulſivum
Indicationes curativæ.

HÆMOPTOE. — 82.

Definitio
Sedes mali in
larynge
in ipſa trachea
in membrana bronchia inveſtiente
in ipſa pulmonum ſubſtantia.
Cum inflammatoria &
absque ea diſpoſitione.
Diviſio
in hæmoptoen 1) per anaſtomoſin
2) per rhexin
3) per diabroſin.
Cauſæ prædisponentes.
Cura.
Hæmorrhagia

— Definitio
Cauſæ
per rhexin
diapedeſin.

HÆMORRHAGIA NARIUM. —— 94

Diviſio
in criticam
ſymptomaticam &
morboſam.
Cura
Vomitus cruentus
Deſcriptio
Cauſæ
Vomitus cruentus a vaſis venoſis ventriculi varicoſis.
Deſcriptio
Cura.

MICTUS CRUENTUS. —— 99.

Deſcriptio
Cauſſæ
Cura
Hæmorrhoides veſicæ.
Fluxus hæmorrhoidum nimius.
Cauſſa
Cura.

HÆMORRHAGIA UTERI. ——104.

Cauſſa
Cura.
Hæmorrhagia uteri chronica,
quæ termino menſtruorum adventante, circa 50 ſc. ætatis annum ſæpe per paroxysmos redit,
in effœtis ſubinde obſervata.

TABES. ——— 111.

Definitio
Differentia ab atrophia
a phthiſi
Diviſio in primariam &
ſecundariam
Diviſio juxta cauſas
purulenta
nutricum
ſcrophuloſam
ab ulcere ſcorbutico cancroſo.
hydropica
rhachitica
a venenis.
Diviſio omnium ſpecierum
in incipientem

confirmatam
confumatam.

Prognoſis.

Methodus medendi
nutriens
roborans
balſamica & detergens
reſolvens
antiphlogiſtica
evacuans.

CARDIALGIA.

Dividitur a ventriculi diverſa ſenſatione
1) in pyroſin, ſeu ardorem ventriculi
2) in veram cardialgiam
3) in gaſtrodiniam.

Sedes mali

Diviſio a cauſis in
Pyroſin
Cardialgia ab ingluvie
biliofa
a bradypepſia
flatulenta
hyſterica
ab aſſumptis acribus, a venenis
menſtruantium

in iis fœminis, quibus ob ætatem ipſam provectiorem catamenia & parcius fluunt, & tardis redeunt, & tandem emanent,

in viris fluxui alias hæmorrhoidum obnoxiis

gravidarum

a retropreſſa materia podagrica

inflammatoria

variolantium

ira commotorum

ab hauſto frigido

ab intropreſſo cartilagine xiphoideo

immedicabilis.

Cura.

SINGULTUS. —— 153.

Deſcriptio

Cauſſa

Singultus a repletione

ab evacuatione

ab irritatione

ab excretionibus ſanguineis vel ſeroſis ſuppreſſis

ab inflammatione eryſipelacea

a vermibus in ventriculo & inteſtinis hoſpitantes

a draſticis purgantibus & vomitoriis,

riis, venenis acribus, cauſticis, corroſivis

ab acrimonia tenui & rodente in humoribus

a dolore partium circa præcordia

a ſola nervoſi ſyſtematis, nervorum potiſſimum phrenicorum & gaſtricorum mobilitate

cum febre intermittente complicatus

a febrili frigore ab internis cauſſis

a luxatione, diſtorſione, & fractura coſtarum inferiorum aut cartilaginis xiphoidis

a deterſo ventriculi muco illo naturali

ab aphthis duplici ex ratione

1) ſi aphthæ naſcentes orificium ventriculi ſuperius cum œſophago, cruſta ſua ſenſim obducunt

2) a cruſtis aphtharum jam deciduis, deglutitis

a læſionibus cerebri

a pure acre aut genito in ventriculo prægreſſa febre inflammatoria, veroque hujus viſceris ulcere

ab inanitione

a vomitu nimio

habitualis & chronicus.

Cura.

VOMITUS. ——— 169.

Definitio

Vomitus a cauſſa in ventriculo vel duodeno hærente.

Cura

a venenis acribus & corroſivis item ab emeticis & purgantibus nimia doſi inſtar veneni agentibus

a tenui acrimonia, materia in humorum maſſa hærente

a vaſis, quæ per tunicas ventriculi excurrunt, ſanguinem coacervatam habentibus, nimiis oppletis, diſtentis, varicoſis, aneurismaticis, obſtructis, ſpasmo conſtructis & inflammatis

a ſpasmo ſucciplenorum & plethoricum vaſorum ventriculi

ab immaginatione

a ſubitaneo terrore

ab iracunda animi commotione

a mœrore

a nervis ventriculi ob conſenſum affectis

ab herniis

gravidarum

a vitio in ſolidis ventriculi circa pylorum hærente

— — criticus

Cura.

COLICA.

Definitio

Diviſio a cauſis

Colica ſtercorea

flatulenta

bilioſa

inflammatoria ſ. enteritis

Colica hæmorrhoidalis

ſanguinea

menſtrua

gravidarum

ſpasmodica

colica hyſterica & hypochondriaca

a conceptione

parturientium ſub nomine dolorum partus ſpuriorum

a partu

ſaturnina

a febre puerperarum comitata

metaſtatica

a ſuppreſſo perſpirabili

a materia podagrica

rheumatica

ab alienis non comeſtibilibus corporibus in cavo inteſtinali hærentibus

a purgantibus reſinoſis
verminoſa
a prava ipſorum inteſtinorum conditione & ſtructura vitiata.
Cura
Regulæ in omni colica obſervandæ.

ILEUS. ——— 214.

Deſcriptio
Cauſa
Cura
Dolor inteſtinorum chronicus
Cauſſa
Cura.

DIARRHOEA ——— 219.

Definitio
Cauſſa
Diarrhœa a purgante draſtico concitata
a cacochylia in primis viis ſtabulante
a fermentantibus
a laxitate inteſtinorum
a mobilitate nervorum, conſenſuque eorundem
indigeſtorum ſ. lienteria
chymoſa & chyloſa ſ. fluxus cœliacus
pituitoſa & mucoſa

inteſtinorum coryza
ſeroſa & lymphatica
bilioſa
Fluxus hepatici ſine ſanguine tingente, ſimpliciter ſeroſi
cruenta
variolarum
atrabilaria
purulenta, ulceroſa & ſanioſa
colliquativa
ab immoderato mercurii uſu
a retropulſa vel retroceſſa materia arthritica, podagrica, rheumatica, ſcabioſa, materia exanthematica, ulceroſa
febrium acutarum comites
criticæ
ſymptomaticæ
febrilis ab aphthis

Cura.

DYSENTERIA. a) —— 26

Definitio
Cauſſa
Symptomata
Curationis ſcopus.

DYSENTERIA. b) —— 264.

Definitio
Diviſio
Dyſenteria inflammatoria
æſtiva
ållbilioſa
putrida
maligna.
Notæ & practici canones
Diſtinctio ab alvo hæmorrhoidali
Dyſenteria epidemica
Cura.

HÆMORRHOIDES. —— 281.

Diviſio in
1) apertas & clauſas
2) externas & internas
3) dolentes & non dolentes.
Deſcriptio
Cauſæ
Symptomata
Cura.

ICTERUS. —— 289.

Definitio
Signa & ſymptomata
Cauſſæ
Cura.

HYDROPS.

Definitio
Diſtinctio in
  anaſarcam ſ. univerſalem
  anaſarca ſcarlatina
          ſcorbutica
  particularem
    hydropem capitis ſ. hydrocephalum
      thecæ ſpinæ dorſi
      ſpinæ bifida
      oculi
      pectoris
      aſcites
      uteri
      ovariorum
      hydrocelen ſ. hydrops ſcroti
      hydatides
      hydropem frigidum
              calidum.
Cauſſæ
Cauſſa proxima
Symptomata cujuslibet hydropis
Cura
    purgantibus, hydragogis
    vomitu
    diureticis
    ſudoriferis
    abſtinentia a potu

in-

incifione cutis ad malleolos
paracenteſi
roborantibus externis
internis

MALUM HYPOCHONDRIACUM.

Opiniones auctorum variæ
Cauſſa proxima
remota
Symptomata
Malum hyſtericum idem eſt cum hypochondriaco
Cura
venæ ſectione
antiphlogiſticis
antihyſtericis
purgantibus
cortice peruviano
nutrientibus
equitatione
martialibus
cura lactea
quiete animi
ruſticando
itinerando
Quæſtiones
quare methodus *Sydenhamiana* cortice, marte curandi &c. non ubique fatisfacit?

quare tam pauci inde curantur?
quare ruſticis & duro victu utentibus hic morbus minus frequens?

LUES VENEREA. — 32

Definitione caret.
Hiſtoria migrationis hujus morbi.
Communicatio
  labe hæreditaria
  tactu
Sedes
Symptomata
De natura veneni venerei
  Diſtinctio in
    luem veneream topicam
      radicatam ſ. confirmatam.
Gonorrhœa
  venerea
    virulenta
    ſui generis ſ. ſpecifica
    habitualis
  non venerea
Cura:
In primo ſtadio inflammatoria ſtimulas excitantem aufferre, methodo antiphlogiſtica
In ſecundo ſtadio roborantibus balſamicis interne externeque
  injectionibus mercurialibus,

Exa-

Examen variarum medendi methodorum
Gonorrhœa fœminarum
Diſtinctio inter gonorrhœam & fluorem album
Fluxus ſeminis non venereus
Teſticulus venereus inflammatus
ſuppurans
gangrænoſus
ſcirrhoſus
Ulcera glandis venerea ſive cancri venerei duplices ſpecies.
Tumorum diviſio
in inflammationem ſanguineam
in lymphaticum
gangrænoſum
ſcirrhoſum.
Phymoſis
Paraphymoſis
Cura
Lues venerea confirmata
Definitione caret
Diſtinctio
a partibus peculiariter affectis
a morbis cum illa complicatis.
Symptomata
Diagnoſis
Prognoſis
Cura.

me-

methodo sudorifera
- per conium maculatum
- mercuriali
  - externe
    - per inunctionem
    - fumigationem
  - interne
    - mercurio vivo & præparatis mercurialibus
    - panacea alba ſ. aquila alba ſ.
    - panacea cinnabarina, mercurius dulcis
    - mercurius ſublimatus corroſivus.

Cura gravidarum venerearum
infantum venereorum.

MORBI MULIERUM.

Menſtrua.

Tempus incipientis finientisque menſtruationis
menſtruorum ſuppreſſio
cauſſæ
atreſia ſ. imperforatio
vitium ipſius uteri
fibrarum uteri laxitas
keneangia
phlogiſtica diatheſis

mu-

mucoſa humorum qualitas
diſpoſitio hydropica
chlorotica
humorum raptus ad ſuperiora nimius,
vitia ſolidorum
Symptomata
Curatio.

Chloroſis.

Definitione caret
Deſcriptio
Cauſſæ
Chloroſis inflammatoria

Fluor albus.

Definitio
Cauſſæ
coctio ventriculi læſa
debilitas topica uteri
cacochymia hæreditaria
catarrhus uteri
Diſtinctio a menſtruis decoloribus
Diagnoſis
Symptomata
Notanda in cura.

Gravidarum morbi.

Diviſio
Cura.

Ab-

Abortus.

Definitio
Cauſſa
Symptomata
Cura
Diarrhœa
Dyſenteria
Tuſſis gravidarum
Cura horum ſupervenientium morborum.

Morbi parturientium.

Dolores partus ſpurii
Cauſſæ
Cura
Fluxus lochiorum nimius
  Cauſſæ
  Cura.
Fluxus lochiorum ſuppreſſio
  Cauſſæ
  Symptomata & ſigna
  Prognoſis
  Remedia
Febris lactea
  cauſſæ
  effectus
Febris lactea chronica
  Cura
Fluor alvi poſt partum.

Cauſſæ
- meconium
- acidum
- dentitio
- vermes

Meconii expurgatio
Acidi effectus eorumque remedia
Dentitio
Vermes
Cauſſæ
Sedes
Species
- Aſcarides
- Lumbrici
- Tænia
- Aſcaris lumbricoides
- Faſciola inteſtinalis
- Gordius aquaticus
- Trichurides Roedereri

Cura
Vomitus
Diarrhœa
Convulſiones
Tuſſis
Rachitis
- Signa
- Cauſſæ

proximiores
Prognoſis
Cura
Aphthæ
Definitio
Diviſio
Symptomata
Cauſſæ
Scabies
Definitione caret
Cauſſæ remotæ
proxima
Proprietates ſcabiei
Cura

DE METHODO PRÆSCRIBENDI FORMULAS.

Generalia quædam de præſcribendis remediis.

REMEDIA INTERNA.

Pulvis
Decoctum
Bochetum
Juſcula
Ptiſanæ
Infuſum

Claretum
Julapium, Julepus
Succi expreſſi vegetabiles
Mixtura
concentrata
Emulſum
Electuarium
Bolus
Elegma, Linctus, Looch
Conditum, confectio, conſerva
Elæoſaccharum
Pilulæ
Trochiſci, rotulæ, paſtilli
Morſuli.

REMEDIA EXTERNA. —— 565.

Balneum
calidum
Thermæ
Balneum frigidum
vaporoſum
Embroche
Balnea artificialia
arenæ
terræ
Enema
Epithema
1) Fomentum

2)

2) Sacculi
3) Cucuphæ
Pulvinaria
Fomentum humidum
vaporoſum

Cataplasma
emolliens
maturans
diſcutiens

Epispaſticum
Sinapismus
Rubefaciens
Veſicantia

Frontale

Collyrium

Errhinum.